FORTVNII LICETI
GENVENSIS
In Patauino Lyceo Philosophi Ordinarij
ATHOS PERFOSSVS,
SIVE
RVDENS ERVDITVS
In Criomixi Quæstiones de Alimento
Dialogus Prior:
In quo montis Atho tetriores umbræ supra Quadringentas, locutionem præsertim, & morum omne genus, necnon etiam variarum Disciplinarum classem obtenebrantes, discutiuntur.

Ad Cl. Virum
IACOBVM GAFFARELLVM
D. Ægidij Priorem, &c.



Patauij, Typis Paulli Frambotti. Annuentibus Sup. MDCXXXVI.

CL. V.

IACOBO GAFFARELLO

D. ÆGIDII PRIORI, ETC.

FORTVNIVS LICETVS

B. A.

Gallicum auxilium aduersus Hispanum aduocasse videat, qui cum aduersario, ex Hispania in Italiam pridem eiecto dimicaturus, concertationis in fronte tuum (Nobilissime pariter ac Eruditissime GAFFARELLE) nomen inscriptum colloco: verum, vt nuper maxime apposite nostram ad fabellam Belga doctissimus, *Ab isto quidem securus animi es: veruecem vides, non hominem: ouiculam meram* in litterario campo, & contra quem satis sit Asinus: Hunc nominis tui splendore, tuisque insignibus velut aureis phaleris, ornatum prodire volui: Immo (ne quid de ceteris ornamentis, quæ omnia in te summa sunt) auro, margaritis, & gemmis omnibus, quanto pretiosior illa tua ex multiplici litterarum & disciplinarum genere conflata eruditio, atque encyclopædia? Latinam etenim, Græcam, Hebræam, aliarumque gentium peregrinarum, quarum quoque plerasque oras adijsti, iam linguas quum

perdidiceris; nullam tibi Philoſophiæ, ac ſapientiæ partem non comparaſti; ſingulari autem ſtudio, ſummaque laude illam te coluiſſe, quæ cuiuſque mores, officia, rerumque publicarum formas ac leges docet, declarant obitæ peregrinationes, Vlyſſearum æmulæ, & alia, atque ipſum, quo apud maximum Regem fungeris, munus; ac teſtatur ſcripta, dicataque tibi politica illa Bibliographia eruditi noſtri Naudæi, quin & Diatriba de Pſellis & eorum ſcriptis diſertiſſimi Leonis Allatij tibi conſecrata, monumentaq; alia cl. virorum nomini tuo pridem inſcripta. Sed tuæ lucubrationes, & numeroſa, & ſoluta oratione iam editæ immenſas ingenij opes, & præclaras animi tui dotes oſtendunt, ac plane demonſtrant. Quare non tuarum quidem laudum, ſed amoris & cultus in te mei teſtimonium hoc meum extare cupio: & quamuis Aſinum, non equum ad te mittam, opuſque non nouenarium, vt ait Horatius, ſed bimeſtre currenti plane calamo, eoque non iterato, delineatum tibi nuncupem; gratum tamen, acceptumque tuæ ſummæ begnitati fore confido. Vale, & me ama. Patauij, Dat. ex meo Scalumnæ Muſeo. Menſe Decembri. MDCXXXV.

SI-

SIMONIS DVLICHII
AD
FORTVNIVM LICETVM
Epistola Parenetica;
Operis
PRÆFATIO.

Quiescebam ociosus V.C. & in vtranque fere dormiebam vacuus omni cogitatione, nedum strepitu litterario: cum ecce tibi Rumor ex Etruria, ab homiue Lusitano editus. Expergefactus animum illico aduerti, præbuiq; aures, magnã ratus, nec spernandam esse rumoris causam. Sed (ita me Deus amet) mihi omnino accidit, quod olim Leoni contigisse fabulantur. Is enim cum strepitum e proxima lacuna audiuisset, aduolauit protinus, nobile aliquod ac generosum animal inspecturus: Sed delusus animaduertit Ranam, fœdissimam bestiolam, impuram, omniq; sorde inquinatam, & non nisi inconcinno strepitu conspicuam. Multa sane, Mi Licete, hæc nostra rana in luto volvit sui Comentarij: coaxat, obstrepit, sese iactat, nugatur, ac mordet: adeo vt alicubi militem gloriosum agat, alibi Aristarchum, Momum alibi, alibi scurram, vbiq. frigidum, ineptum & supra quam cuiq. credibile est, insulsum maledicum. Bone Deus! fieri ne potest, vt in toto eo Cõmetario nõnisi insulsissi-

me

mę ineptię, stolidęq; vanitates sese promant? fierine potest, ut Nulla in tam magno corpore mica salis? *Vir quidam acutus ac facetus, inspecta libri fronte, in qua Magni Hippocratis doctrina enodanda illustrandaq; proponitur, captus inscriptione, auide cępit voluere librum, atq; penitus introspicere: tum ad me conuersus, Heu, inquit, heu, scisne, quod apposite fabulatur Aesopus? Nempe Asinum quondam, Leonis pelle indutum, longe lateq; peragrasse, ab omnibus animantibus existimationem auctoritatem, & gloriam initurum. Cum verò sagacissima vulpes ei obuiam facta esset, indignabunda, Pone, inquit, generosam pellem, animal omnium ignauissimum: tuam sume, tuam indue, te tuaq. natura dignam.* Mihi verò (*subdidit, nec tamen puduit*) facile imposuisses nisi Te Rudentem audiuissem. *Profecto in hoc libro nihil nisi leoninam pellem, magnificam nempe, & honestam inscriptionem animaduerti: qua detracta,* Rudentem Asinum & (*quod aeque dolendum est*) *latrantem canem audiui. Vir Clarissime, scis* Aequo animo audienda esse imperitorum conuicia. *Aristippus fere imitandus, qui à Dionysio consputus, nihilq. commotus, admirantibus respondit,* Piscatores, vt gobium capiant, aquis patiuntur madefieri: at ego, vt balenam, non patiar sputo aspergi? *Omnes probe norunt hominis petulantiam: quę meo iudicio, solo pene risu punienda, aut contemptu solo.* Sic generosus molossus stolide oblatrantem ignauum canem contemnit, nullo dignatus dente. *Recte, inquies,*

si

ſi latraſſet ſolum. Momordit fateor: quid inde? Martem exagitauit cynamya. *Communis omnium hęc eſt opinio, eritq. ſemper apud doctos & probos homines. Norunt omnes,* Te ſolum in Italia viuere virtute, & factis inuictiſsimis. *Norunt, eum alterum eſſe Menecratem, qui eò ſtultitię peruenit, vt* ſecum natas ac morituras litteras iactaret: *norunt, inquam, eius vanitatem inſanam, cum ſe* Præſtantiſsimum Philoſophum & Medicum *inſcribas;* Digniſsimum Anteceſſorem; Vniuerſę Europę notiſsimum; *ac tandem* Vertice ſidera tangere. *Parum abeſt, mihi crede, quin ſe putet, non ſolum tangere, ſed* debellare cęlum, & captiuum ducere in triumpho, ſtellaſq. facere vectigales. *Heu dementia! heu miſeranda fatuitas! Ego (tecum Licete libere loquor) ſolebam olim hunc hominem Demadi oratori comparare: cui, vt ait Antipater, non ſecus ac immolatæ victimę, nihil præter ventrem & linguam ſuperfuit in extrema ſenectute. Nunc verò ventricoſo garruloque ſeni morbum adiungo imaginoſum, ac de ſeſe exiſtimationem opinionemq; inſanam, hellebori iugere purgandam. Credo mehercule, ſe noctu ſomniare, ex Iouis vertice proſiliſſe, educatum a Muſis eruditumq; Apollini, vt cum Plauto loquar, medicinam feciſſe, obligaſſe crus fractum Aeſculapio. Hæc eo ſpectant, Mi Licete, vt ex me etiam intelligas, optime conſultum eſſe exiſtimationi tuæ, etiam ſi omnia in te aſpere & ferociter coniecta maledicta, ſilentio & obliuione propulſares. Vrgeas tamen velim atq; inſecteris* τυφογέροντα:

&

& abstergas quam in ceteros etiam euomuit, virulentiam. Ergo silebunt, inquies, alij turpissimis conuicijs lacessiti? Silebunt, opinor, inepta ista ac nugatoria maledicta irridentes: non quidem eum imitati, qui ea, quæ per ignauiam præstare non potest, per simulationem contemnere cogitur. Scis eum dictitare atque adeo scripsisse, se contemnere, ac proinde non responsurum Declamationibus Persij Treui De sero Lactis, *quippe præstantissimo suo stylo indignis. Dixin', Licete, eum esse militem gloriosum*, picturam nempe imperitæ superbiæ. *Apparet hercule, alterum esse Pyrgopolinicem, iactantem sese* Martem seruasse in campis Gurgustidonijs, *ceteros omnes tamquam viles homunciones flocci facere: per te tamen captum, verberatum, atque vt militem illum gloriosum, postremo abdomine testibusque abscissis, aufugere euiratum, detestatum,* Nihilique factum *: ac proinde non esse amplius loquuturum. Scis enim illud Plauti,* CASTRATOS non loqui amplius. *Vale. Romæ &c.*

FORTVNII LICETI
ATHOS PERFOSSVS,
sive
RVDENS ERVDITVS
In Criologiam de Alimento

Dialogus I.

In quo montis Athi tetriores umbræ, locutionem, disciplinas, & morum omne genus obtenebrantes, discutiuntur.

Personæ Dialogi,

Vlysses, Circe, Sibylla, Veruex, Asinus, Regulus, Acanthis, Cicada, Leucippe, Melanthium, Buso-veruex, & Epeus.

VLYSSES. Quid audio, Circe, propinqui stabuli fores tam alte pultari? caue ne quæpiam in eo clausa bestia ferociens alijs mitioribus pacate degentibus aliquid mali afferat. CIRCE. Nil ex eo tumultu mali metuas alijs, Vlysses, at potius tibi caue. VLYSS. Quid ita, o Sapiens? quid mihi cum belluis in caula conclusis? posteaquam meos socios humanæ formæ reddidisti, quos olim sues effeceras, & in hoc stabulo glandibus damnaueras. CIRC. Quid tibi cum belluis in stabulo clausis? detinetur intus loro valido præsepis ad palum alligatus Veruex pinguissimus; qui statim ac te loquentem audiuit, furens ac rabidus lorum perrumpere conatur, ac multorum sibi consimilium animalium ope consarcinatum grande quoddam exchartabulum in te proijcere magno impetu gestit, sperans ingenti mole chartacea, a Volusianę congeneri, a se nunc te oppressum iri; qui pridem illum arietem

a *Catull. de Smyrnacinna.*

integrum emasculasti gladio Nemesetico, ac euiratum mihi tradidisti commutandum in infecundum Veruecem; is igitur ita demens caulæ fores arietando pulsat, vt te perdat. SIBYLLA. Immo vero præter Veruecem cornibus arietantem, adest intra stabulum Asinus calcibus valuas percutiens, ac te postulans, Vlysses. VL. Quid mihi cum Asino, Sibylla? sed & mihi times a Veruece, Circe? non ne hosti, dudum in ferijs sub alia forma colluctantem prostratum a me fuisse, perdomitumque Proteum hunc? VERVEX. Quid prostratum dicis? quid perdomitum? nisi lychni scintilla supra scriptorium abacum deciders olim ambussisset meam responsionem ad tuas Nemeseticas, iamdudum agnouisses quidnam in te molitus essem. VL. vere putida in eo volumine scripta fuerunt, quæ Vulcanus ipse lustrauit: iam pridem ego noui tuos partus, teque dignos esse quos ignis expurget: an ne fuit naphtha perunctum illud exchartabulū, vt adeo facile sibi rapuerit ignem, quo tamquam ictum fulmine conflagrauerit, ad instar Creusæ Medeæ pellicis? Sed quia me non decet hæc tua mendacia, & has insulsas excusationes, ac inuentiones frigidas attingere, valedicto, silentium æternum tuis plebeis blateramentis indico, tuas nænias ibetas, vt decet, despiciens derideo: mane iam clausus intra stabulum in tuo fœtore. ASINVS. Oro te per genium tuum, Vlysses, per captæ Troiæ gloriam tibi partam, per itineris ærumnas, per socios tibi seruatos, fac illico recludatur ostium hoc, & videbis an vt Hercules olim Acheloi *b* Tauri cornu perfracto, ferociam belluæ maioris ac validioris perdomuit; sic ego, tui gratiam vt mihi demerear, Veruecis huius impotentis & rabidi de fronte facile reuellam cornu *c* philodoxiæ, quo maxime nititur, & gloriatur: nec aliud mihi præmium victoriæ postulo, nisi vt prostrato Veruece, pristinam mihi formam impetres ac exores a Circe. REGVLVS. Si pristinæ formæ decus eum manet, qui de Veruece prostrato triumphauerit, mihi pugnam requiro, Vlysses, quippe Telamonius Aiax ille fui, non ita pridem a Circe mutatus in Regulum; ac vt te dudum tueri potui circumuentum a plurimis * Troianis, ita nunc facilius hanc Veruecis rabidi molestiam tibi demam: fac vt caulæ fores pateant. Asino si placet, primam velitationem concede cum Veruece de calumniijs ad mores attinentibus; at mihi serua pugnam statariam cum eo de rebus scientificis; nosti siquidem mihi vim esse in * ore præcipue. VL. Iustum est me Duci commilitoni gratiam rependere, & amico debitam opem ferre. Sed quomodo Basiliscus quum sis, nos innoxie spectas? REG. Quia formam exteriorem tantum induit

b Ouid. 9. met. Mythol. lib. 7. cap. 2.

c Pla. 5. de Rep. inf.

* Homer. 11. Iliad.

* Pier hier. lib. 14.

duit me Circe Reguli, non item interiorem virulentiam; quare securus prope me consistere potes. VL. Quæso Circe recludе fores Caulæ deductis repagulis, ni vis ab vno arietante, atque ab alio calcitrante diffringi: & quia mihi videre lubet, quisnam ille sit Asinus, qui pro me cum Veruece cupit inire litterariam monachiam. CIR. Nolebam te cum furente cornupeta congredi: nihil enim veretur procax; in omne sese discrimen dat; [d] quapropter illi iamdudum alligaui [d] fœnum in cornu, quo procul eum aspicientes alio declinarent a furore suæ maledicentiæ; sed nec id satis esse perspiciens, intra stabulum alligandum curaui, & concludendum. As. Obsecro Circe fac fores pateant; nihil erit Vlyssi cum Veruece negocij: mihi pugnam relinquite spectatores a caulæ foribus: videbitis non difficiliori negocio me fœnum e cornu Veruecino detrahere, quam aliquando [e] Cæsar facturus esse dicatur Marco Crasso; quem vnum ideo Sicinius apud Plutarchum lacessere non fuit ausus, quod habere diceretur fœnum in cornu: VL. Vin tu nunc oppedere [f] curto? iam per me liceat. Age Circe videamus Asinum, & audiamus eius disputationem cum Veruece. CIR. Quando sic tibi placet, ecce stabuli fores iam patere facio solo virgæ tactu: sed Veruecem soluere nolo, ne nos commaculet; quare stemus in vestibulo, vel potius extra limen caulæ, vocesque differentium audiamus a longe; quia quum Veruex voluulo laboret, inter loquendum frequenter euomit [g] fœces opprobramentorum; quibus mihi peplum, & Sibyllæ pallam coinquinari non decet; nec puto te velle tali fœtore tibi sagum conspurcari. VL. Hui quantum fimi [h] lœdatiarum? nec Hercules ad integrum annum suffecerit huic stabulo purgando; qui tamen Augiæ caulam [i] fœculentissimam vnius [k] dieculæ breui tempore lustrauit, omni detracto fimo: Hoc aliud est quam de floribus apud odoriferas plātas cum inclyto Flore differere, quod intendebamus, o Circe; sed alias forte dabitur occasio disputandi cum eximio & fragranti Flore: Nunc bene mones vt extra limen caulæ consistamus, & prouinciam disputandi cum Veruece mandemus Asello: sed nosse cuperem quisnam ille sit Asinus. Eia dic mihi quisnam fueris in Asinum transformatus? As. Epeus quondam ille fui Panopei filius, apud Troiam Atridarum [l] coquus, & [m] lixa; qui tuo iussu, Vlysses, Duratei equi [n] fabricator, victoriam Græcis facilem dedi: sed malum fatum me mansit apud Simonidem, apud quem ex homine factus sum asinus. VL. Cur, & a quo mutatus in Asinū? an a [o] Palestra quapiam, [p] Photideue, vt Lucij Philosophi; an a Circe nostra? As. Nec a Circe, nec ab alia femina fui transfor-

d Hor. ser.
Plut. rom. qu. 71.
e Plutarch. in Vit. & Roman. qu. 7.
f Horat. libr. 1. sat. 9
g Gal. 6. de loc. aff. c. 2
h Macrob. 7. sat. c. 3.
i Theocr. Idyll. 25.
k Comes Mythol. lib. 7. c. 1.
l Var. 6. de lingu. lat.
m Simon. Rhod. in secur.
n Virg. Aeneid. li 2.
o Luci. asi.
p Apul.

matus in Asinum, sed a Simonide, vt illi baiularem aquam e longinquo fonte ad domesticos vsus; quod olim Atridis etiam præstiteram in Iliaca obsidione. VL. Nunquam audiui Simonidem fuisse transmutatorem, o Circe. CIR. Athenæus id tibi potuit indicare; cuius q testimonio *Scripsit & alterum epigramma Simonides, quod ignaris historiæ dubitationem affert.*

q lib. 10. c. vlt.

,, Ait eum, qui nolit Cicadæ obire certamen,

,, Luculentam cœnam daturum Epeio Panopeiadæ.

fama est quum in Carthea degeret Simonides, agendi canendique choros rationem docuisse, schola procul a mari sita, in vrbis superiore parte iuxta templum Apollinis: aquam vero petiuisse & alios & Simonidem ipsum ex inferiore oppidi regione, vbi fons erat, aduehente asino, quem Epeum cognominabant, quod fabulæ tradant ad Troiam Heroibus Epeum aquam præbuisse, & in Apollinis delubro picta sit Troiæ fabula, in qua Epeus Atridis aquam fert; quod & his versibus Stesichorus dixit,

,, Eius regibus semper aquam ferentis

,, Miserta est Iouis filia.

Quum igitur hæc ita essent, Simonidem aiunt sanxisse, ad condictam horam si quis abesset eorum, qui chori modos & cantum docebantur, vt is Asino daret hordei semodium: illud nimirum est, quod significat, vt is, qui cantare nollet, certamen Cicadæ recusare dicatur; & Panopeiades nomen Asini sit; ampla verò cœna hordei semodius. Itaque sic Epeus a Simonide mutatus fuit in Asinum, qui portabat aquam Poetæ ad Cartheam, vt olim Atridis ad Troiam. VL. At cur, & quando ad Circem venisti? & quomodo quum sis Asinus, de rebus ad mores attinentibus disputare possis, & audeas? AS. Mortuo Simonide, qui me nunquam in hominem reformare voluit, propriæ solum consulens vtilitati contra ius & fas omne, vt illa Cypris apud r Cæsalpinum; ad Circem veni deprecatum, vt ipsa me meo redderet Epeo; quod impetratu tuo consecuturum me spero, quum aduersarium tuum Veruecem prostrauero: neque quicquam ambigas de mea victoria; nam apud Simonidem sæpicule disceptantes de rebus moralibus, & alijs philosophicis, atque ad eruditionem pertinentibus audiui discipulos, qui conueniebant ad musicam & poesim addiscendam; vt tantum scientiæ retineam, quæ sufficiat ad obturandum os aduersarij: nam parum doctrinæ sufficit ad eum conuincendum, & ad eius libellum famosum nouissime cusum euertendum. SIBYLLA. Audacter Vlysses committe prouinciam disputationis asello; nam eum tibi vaticinor ex hac pugna victorem proditurum. VL. Quando sic tibi placet, iam cum Veruece disputa rudens aselle de rebus,

r dæm. inu. Perip. c. 9.

quas

quas mihi contradicens obiectat, victoriæ præmium habiturus vltra laudes meritas, humanam, quam cupis, effigiem. As. Eia Veruex, quid circa mores opponis Vlyssi? VERVEX. Cum Vlysse disputabo: cum Asino disserere nolo; pudet enim me cum asino loqui. As. Non ob id, quod a te contemnar, o Veruex, irascar; quem iratum nemo vidit, nemo sensit vnquam: an non audisti a viro *f* clarissimo primam virtutem asini patientiam esse? Scias, eodem doctore, in vrbe Roma, patrum tempore, aulicos fuisse, qui Collegia ac scholas instituerent, in quibus mutuo se probris ac infamia notarent, ea lege, vt si qui pronior in iram esset, mulctaretur: quod vt recte illi, & ad vsum; nihil enim maius est ac difficilius, quam perturbationes animi, ac primos coercere motus, quibus magni sæpe proceres succumbunt: ita prærogatiuam patientiæ natura mihi satis indulsit. Ceterum si non puduit *t* Ammonianum philosophum habere asinum in schola sapientiæ auditorem: si non puduit Theophilum Pholergium insignem *u* Theologum colloqui differereque fuse cum Asino de rebus maximis: si non puduit Lucianum Samosatensem, & Lucium Apuleium asinos induere: si non puduit Cleanthem vocari asinum (*x* Cleanthes enim quum asinus audiret, nihil admodum offensus, minime id mirum esse dixit, quum Zenonis onus (disciplinam Præceptoris innuebat) baiulare didicisset) non te pudeat, o Veruex, cum Asino loqui; nam forte secum omnia bona cum Biante portat. SYB. Non puduit Prophetam *y* Balaam cum asina sua colloqui; non ergo te pudeat, o Veruex, cum asino libero loqui. VERV. Dedecet equidem præstantissimum, qualis ego sum, cum asino loqui; nam ille Propheta malus fuit, & illi Philosophi stulti & improbi. SYB. De Balaamo licet pleique prædicent improbitatem; attamen *z* Abulēsi. *erat etiam Balaam iste propheta, & verus propheta; quia Deus ei multa reuelabat, & ei apparebat; vt patet hic in littera: Multa etiam prophetice dixit de populo Iudæorum, & de Messia; vt patet infra 24. cap. Erat etiam Balaam propheta Dei, sicut Moyses*. Diuo quoque Hieronymo Balaam vir probus ac spectatæ probitatis, sanctiorisque vitæ studiosus, charusque Deo ipsi vates fuisse dicitur: an eum oderis quod plurimos *a* arietes mactare, ac immolare præceperit? As. At vero de te nemo, nisi tu, præstantissimum prædicauit vnquam. Lucianum vero Samosatensem dum stultitiæ, ac improbitatis nota diffamas, caue ne te peius vlciscatur, ac eum fecerit, a quo pridem audiuit, *b* Prometheus es in verbis; nam Apuleium satis tuetur apologia, qua se defendit aduersus Aemilianum. Verum enim vero si te non mouent hi, Thaletes ipse te moueat, qui tac-

tus

f Io. Meurs. de laud. Asin.
t Suid. in g.
u Chaos syl. 2 dial. 3.
x Pier. Valer. 12. Hierogl. & Meur. de laud. as. p. 141.
y Numer. 22.
z Qu 3. in c. 22. Nu.
a Num. 22 & seqq.
b tom. 1. dial 2.

tus philosophus quum esset (certe te non inferior) cum asino, vel cum mulo asini filio congredi non erubuit, neque contempsit illum, siue ab eo victus, vt ait ille c Magnus Asini laudator, siue secus, vt mihi quidem videtur innuere Plutarchus inquiens, d *Testem laudabo Thaletem antiquissimum Philosophorum, quem ferunt non minimam laudem eo inuenisse, quod artem arte dextre superasset: salem portantium mulorum quidam fluuium ingressus, fortuito concidit; ac sale in aqua colliquato quum surgens onere se animaduerteret leuatum, caussam sensit ac memoria mandauit; & quoties per amnem transiret, dedita porro opera se demisit, & in vtramque partem versauit, vt vasa in aquam demergerentur: quod vbi Thales audiuit, iussit loco salis lana & spongijs vasa impleri, vsque oneratum agi mulum; qui quum pro more suo egisset, & aqua onus suum impleuisset; sentiens suas sibi argutias male cessisse, posthac ita caute fluuiū transiit, vt ne inuito quidem ipso vasa aqua tangerentur.* Si Thales cum mulo asini filio certauit argutijs, & ex eo certamine laudem reportauit; cur tu muli patrem Asinum contemnis, & cum eo loqui dedignaris? VER. Nihil hos ego moror, quicumque fuerint; mihi sat est, Asinum esse Asinum, hoc est animal dedecoris plenum. As. Talia vulgus dicere consueuit, o Veruex; ast alia longe mens est viris sapientibus: quomodo sit dedecoris plenum illud animal, quo multiplici cœlum condecoratur? & quum vnus Aries inter asterismos vraniæ spectetur, nullusque locum habeat in cœlo Veruex; duo tamen e Aselli micant inter sidera in Cancro, & in Leone, vbi Sol est in maxima sui exaltatione, ac virtute: si ergo cœlum condecorant Asini; dedecoris animalia plena tibi dici non potuerunt. Immo vero si procatur equus generosas Asinas, quod & Simonides meus, f Aristotelis contestatione fatetur, dum noluit carmen de tam nobili subiecto pauci æstimari, minorisque pendi; *quum enim sibi non multum afferebat, qui mulabus vicit, nolebat carmen componere*; *quasi moleste ferret in laudem mularum id facere*, ob vtilitatem pretij; *quum vero multum attulit, componebat,*

„ *Equorum saluete ventipedum filiæ.*

atqui Asinarum etiam filiæ erant. Si pariter equæ procantur Asinum, g Columellæ testimonio; quid ergo veruex infra genus equinum degens Asinum despicis atque fastidis? Hygini h relatu, Romæ Asinorum capita, & quidem vite alligata in triclinijs reposita fuerunt honoris ergo. Quin & obseruatu i Pierij, *Cautum lege veteri, vtilitatis, quæ ex frugi adeo animali percipitur, habita ratione, vt honore cum hominibus pari dignaretur; nam quum primogenita sacrificari præceptum sit, Homo tantum atque Asinus excepti;*

c *Meurs. pag.* 164. 165.
d *de solert. animal.*
e *Arat. phæn. Hygin. & floesl. in Procl.*
f 3. *rhet. cap.* 2.
g 6. *de re rust. c.* 36.
h *cap.* 274.
i *lib.* 12. *Hiero.*

cepti; vt ille scilicet certo pretio redimatur, hic oue, animali iumentorum omnium preciosissimo innocentissimoq; commutari possit. VER. Ego semper Asinum animal nullius precij æstimatum habui habeboque. As. Crede Plinio, lege passim historias, & sententiam mutabis; testatur ille, k *Asinum CCCC. nummum emptum Q. Asia Senatori, autor est Varro: haud scio an omnium pretio animalium victo:* & mox. *Notum est in Celtiberia singulas* Asinas *quadringentenis millibus nummum emi.* Sed & Budæus ex Varrone colligit Asinum nummis quadringētis millibus emptum. VER. Quicquid sit de portentoso precio: negari non potest Asinum esse symbolum ignorantiæ, stoliditatisque typum apud omnes; & Asinus tu vis mecum disputare de rebus philosophico-medicis? As. Et in hoc reclamantes habes viros eruditos, ac sapientes; quin & rationem ex rei natura deductam: etenim l Plutarchus demonstrat miram Asini solertiam. m Suidæ Ammonianus Grammaticus, qui Poetarum enarrationem, & Græcæ dictionis artem occupatam diligebat, Asinum habuit sapientiæ auditorem. Sed & Valerianus tandem veluti veritate coactus infit, n *Longe diuersum illud est, quod apud Hebræos, præcipue Cabalisticos, Asinus est sapientiæ Symbolū; cuius quippe ideam cōstituunt SAPHIROTH, eam afferentes rationem, quod eum, qui sapientiæ sit operam daturus, victu admodum tenui, & eo plurimum plebeio cōtentum esse oporteat; cuiusmodi parsimonia præditum esse Asinum ignorat nemo: ad hæc, penuriam, labores, plagas, & famem patientissime tolerare, neque ad vllam excandescere contumeliam, vndecumque illata fuerit: animo esse paruum, inopem, atque simplicem, vt qui nullum inter carduos & lactucam discrimen habeat: corde sit minime vafro, minime cupiditatibus contaminato: bile ita careat,* * *vt cum omni animantium genere pacem sibi perpetuam constituerit: nec vllum sit onus quod detrectet, quod non obsequiose suscipiat; & si sit opus, pro boue terram proscindat, plaustrum trahat, præcipue vero machinæ maxime omnium necessariæ pistrino æternum seruiat, ligna, poma, olera, frugum genus omne comportet; sit denique totius humanæ commoditatis assiduus & infatigabilis minister; vt etiam, quod aiunt, mysteria portare compellatur. Merito itaque Ammonius Alexandrinus magno Origene & Porphyrio discipulis clarus, Asinum his condiscipulum fertur adhibuisse. Neq; verecundatus* Cleanthes *appellatione huiusmodi, confidentissime respondit, Asinus quidem sum, sed qui portare possum, sarcinam Zenonis*, nempe sapientiam. Dama. item apud Phot. in vit. Isid. *Asinus Ammonij sæpe pabulum, licet esuriens, poeticas audiendo disciplinas, negligebat; ita hoc studio capiebatur.* At alia ratio quoque nobis ostendit in Asino symbolum sapientiæ.

k lib. 8. c. 43.

l de sol. r. anim.

m in 8.

n Hierogl. 12.

* Aelian. 4 de anim. cap. 52. Arist. 4. de Part. cap. 2.

pientiæ; quum enim sensus omnes ad eam nobis comparandam vsui sint, præstant tamen ceteris auditus & visus, vt ait o Aristoteles: ceterum ad disciplinarum adeptionem auditum visu longe meliorem esse præter p Aristotelem docet experientia, qua certum est cæcos plures fuisse sapientissimos; inter quos antiqui collaudant Homerum: at qui surdum doctum viderit, nemo fuit vnquam. Qua ratione naturalis philosophiæ libros suos nuncupauit Aristoteles *de Auditu physico;* & Alexandro conquerenti, quod π acroamaticas disciplinas inuulgasset, Aristoteles respondit, eas non intellectum iri nisi ab ijs, qui auditu ipsas a se percepissent. Vin vtriusque epistolas? En apud Simplicij prologum ad libros Physicorum relatas. *Alexander Aristoteli bene agere. Non recte fecisti, quod auscultatorios libros in publicum emisisti: nam qua alia re nos alijs antecellere poterimus, si ea disputationes, quibus impense dabamus operam, omnibus prorsus fuerint communes? Ego vero malim experientijs rerum optimarum, quam viribus potentijsque ceteris anteire. Sed Aristoteles rescripsit Alexādro &c. Aristoteles Alexandro salutem. Scripsisti mihi de auscultatorijs libris, quos putas in arcanis reconditos esse oportere. Scias igitur velim ipsos editos, atque non editos esse: nam ijs intelligibiles erunt, qui me audierunt. vale.* Quum igitur Asinus plurimum auditu valeat; q quod & Valerianus obseruat, cui Aristophanis interpres in Pluto memorat tres caussas cur Midas asininis auribus fuisse prædicetur; quarum prima est, quod acutissimi esset auditus, cuiusmodi sunt Asini; quos præter mures, ceteris animantibus auditu præstare tradunt. Hinc Apuleianus Asinus de se ait, *Recreabar quod auribus grandissimis praditus cuncta longule etiam dissita sentiebam.* Cœlius pariter r ait, *Auditioni pracipue intentum, Asini aures habere dictitamus:* loquitur autem ibi de Mercurio: iam aperte constat, Asinum dici debere sapientiæ symbolum. VER. Ego semper Asinos abhominatus, te non minus quam porcum detestor, & vis me tecum differere? As. Si tecum aliquis e socijs Vlyssis, antequam porci deponeret effigiem, aduersum te caussæ Vlyssex patrocinari voluisset, excusationem fortassis aliquam haberes apud homines detrectandi cum eo negocium; quod s Apellarum cultor assiduus porcos abhominaris: at quum teste t Plutarcho, dubitante nemine, *Asino sit etiam nunc suus apud Iudaos honor, qui fontem aqua eis demonstrauit:* Cornelioque u Tacito, *Effigiem, qua monstrante errorem sitimque repulerant, penetrali sacrauere* (loquitur autem de x Leuigenis Asinum colentibus) immerito tu detestaris Asinum: ecquis scis ab eo fontem sapientiæ tibi non posse monstrari? Ceterum & Plutarcho neque porcum

o 1. meta. cap. 1.
p de sens. & sens. c. 1.
π Plutarc. in vit. Alex.
q 3. Hiero. & 12. Hierogl.
r 18. ant. lect. c. 6.
s Horat. li. 1 sat. 5.
t 4. symp. qu. 5.
u 5. hist.
x M. ntuā.

porcum abhominari deberes; quum porcos veri *y* sabbatizantes non abhominentur, sed ab eorum esu penitus abstineant, quia suillum genus colunt. *Existimo autem*, *z* inquit, *si abhominarentur porcum, interfecturos eum fuisse, sicut mures necant Magi; nunc tam interficere, quam edere suem ijs est religio: & fortassis rationi hoc consentit, sicut Asino suus apud eos est honor, qui fontem aquæ eis demonstrauit: ita suem eos reuereri, vt sationis & arationis magistram.* Sic apud Romanos olim boues, ac vitulos arationi destinatos & vtiles mactare comedereque nefas erat, non quod eos abhominarentur; nam præcipiente Catone

„ Thurre Deum placa, vitulum sine crescat aratro.

Et *a* Cœlio Rhodigino, *Bouem certe aratorium immolasse, nefas censebatur summum.* Vlyssis mei socios, quod a bobus mactandis non temperauerint, Sol indignatus percussit; quippe vt Solem intueamur caussa videtur hoc bruti genus; quia, vt ait idē Cœlius, alimenta suggerat. & alibi, *b Rursum & illud seruatum diu, ne bouem, cuius opera vel aratro, vel curru vterentur, omnino immolarent Athenienses; quoniam & hic colonus sit, ac laborum quoque nostrorum particeps.* Siue igitur Vlyssis caussam agere velit sus aliquis eiusdem socius, siue potius Asinus ipsius amicus, non decet te pugnam detrectare. Veruex, etsi *c* Menophili compar infibulari nequeas. Ver. Numquid ego sum *d* recutitus, vt asinum, & porcum despectui non habeam? As. Tu quidem dixisti; multi vero credunt; alij autem dubitant an nulla sub *e* cute pondus habeas; ego nil certi de proposito possum affirmare: sed tamē te video frequentissime monumentis ac testimonijs vti curtorum; scioque te *f* Verporum, qui non ita pridem veram pietatem mentiebantur, arctissima necessitudine vsum; & eorum, quicumq; nomina dederunt *g* Ex-aqua-sublato proprium idioma callere supra cunctos Orthodoxos. Verum facile tibi fuerit omnes liberare ambiguitate, num possis apte *h* Comœdorum, Tragœdorumue fibulam gestare; si prolato Plautino seu Petroniano peculio dormientis ebrij Noe casum renouaueris; Ver. De hac re non oportet me tibi respondere: nec tecum edisseram; quia nulla mihi gloria est Asinum vincere. As. Maximam te gloriam manere, si disputans viceris Asinum, antea monuit Plutarchus asserens, *l* Thaletem non minimam laudem ex eo sibi comparasse, quod astum Asini, vel Muli ex Asino nati maiori solertia superauerit: si de certamine corporeo currentum ageretur, nil fortasse gloriæ tibi compatares ex ea victoria, quam de vulgari Asino reportares; etenim *m* Martiali,

y *Exod.* 16 *Leuit.* 26.
z 4. *sym. qu.* 5.
a *lib.* 12. *cap.* 1.
b *lib.* 19. *cap.* 26.
c *Martial.* 7. *epi.* 81.
d *Persi sat.* 5.
e *Martial.* 7. *ep.* 34.
f *Iuuen. saty.* 14.
g *Phil. de vit. Mos. lib.* 1.
h *Iuu. sat.* 6 *Merc.* 1. *v. lect. cap.* 19.
i *Pers. sat.* 5
k *Gen.* 9. *cap.* 8. *sat.*
v *Plaut. pseud.*
l *de soler. anim.*
m *lib.* 12. *ep.* 36.

B Vis

Vis cursu pedibusque gloriari?
Tigrim vince, leuemque Passerinum:
Nulla est gloria praterire Asellos.

Sed nostra contentio litteraria futura est, pugnaque lfataria, sine motu corporis; quoniam Aristotelis decreto contemplatio
n 1. de an. t. 48. intellectioque similior est n quieti atque statui, quam motui: fitque sciens & prudens anima, quum residet & o quieta est;
o 7. ph. t. 20 non autem quum ad motum concitatiorem corporis currentis
p 1. de an. t. 61. & p ipsa mouetur. Neque vero tantum motus corporis concitatior, sed etiam animi motus ille vehemens, qui dicitur ira, veritatis cognitionē impedit; quod me puerum docuit Cato; cui

,, Ira impedit animum ne possit cernere verum.

Sit igitur nostra disputatio pacatis animis, & corporibus; vnisque linguis motum lenem concedamus ad exprimendos q inter-
q 1. perihe. cap. 1. nos nostrarum mentium conceptus. Verum enim vero si de motu corporali quoque sermo sit, ecquis scis me non esse ex illorum Asinorum genere, qui pernicitate prouocare, superareque dicuntur equos? vt propterea plurimum gloriæ conquirere possis, si Veruex Asinum talem viceris: Pierio siquidem teste, *r ex nota ignauia Palestini Asini excipiendi sunt, qui equos ipsos*
r Hiero. 12 *pernicitate prouocare dicuntur, traditum ab Adamantio. Et apud Euphratem Xenophon primo de Cyri minoris expeditione inuentos ait Asinos, qui equos cursu facile superarent: namquum ad eos equites proxime accessissent, cursum illi arripiebant; quumque longius prouecti essent interim restitabant; atque ita sapius iterata fuga equites fallebant. Et Saracoras legi Asinos non ad onera comportanda, sed ad gerendum bellum adornare.* Sed & Aelianus contestatur Asinos Indicos *s neque modo corporis velocitate longe mul-*
s lib. 4. de an. c. 52. *tumque ceteros Asinos superare, sed & velocitate eadem multo equis, & elephantis praestare: quum autem in viam se dederunt, tardius primo ingrediuntur, deinde paullatim tantum confirmantur ad contendendum iter, eos quidem vt assequi nemo possit.* Non igitur despicias cum Asino congredi. VER. Apage te hinc Asine, ani-
t epist. 73. mal refractarium. As. Errare te dicit aperte t Seneca, dum Philosophiæ fideliter deditum existimas contumacem, & ais esse refractarium. Sed mihi deuoranda iam est hæc tua cicuta Thuscia, tuo malo fortasse fato. VER. Quid mihi meam memoras
u 4. diosco. c. 74. com. cicutam Thusciam, quæ nulla est? As. Matthæolo teste, u *constat cicutam in Italia non adeo exitialem esse: eam in Etruria si Asini depascantur, profundissimo somno, & torpore capiuntur, ita vt non tantum stupidi, sed plane mortui videantur; id quod aliquando rusticos huius rei ignaros fefellit; nam dum Asinis, quos mortuos cre-*

debant,

debant, pellem ad vsum detraherent, accidit mirum, quod in medio fere operis Asini experrecti sunt, non sine magno excoriantium terrore, atque ingenti spectantium risu. Hanc itaque cicutam Thusciam tui contemptus vbi deuorauero, mihi non interitum afferet: ac licet aliquantulum dormire videar, scias me tibi, meũ Asellum probrorum cultris excoriare iam aggressο, magno futurum aliquando terrori; te vero in opere medio delusum Musis omnibus ingentes de te risus excitaturum. VER. Mala certe ac infausta dies, quæ te perduxit in meum conspectum. As. Non ita, mi Veruex, quoniam inter bona omina occursum Asini fuisse notauit Aristophanes in Auibus: id experimento compertum olim habuisse Marium, & Augustum contestatur in Asini Hieroglyphico Valerianus. Quin & apud Oneirocriticos vel vocabulum Asini, vel simulachrum in somnis auditum, visumue fausta omnia denunciare consueuit: Sed & apud Caussinum Damasc.in vita Isid. *Asinus Tiberij scintillas emittens e corpore Domino significauit futurum imperium.* an non audis quod cecinit antiquus vates?

Θησαυρὸς ἀνθρώποισίν ἐστι ὄνος καλῶν. id est

Thesaurus hominibus bonorum est Asinus.

nimirum respexit ad plurima bona, quæ sortiuntur homines ab Asino; cuius vngulæ cinis [x] comitiales adiuuat, strumas discutit, pernionibus medetur: iecur item [y] apoplecticis prodest: Lac [z] dentes, gingiuasque stabilit: confert [a] candori in mulierum cute, quam etiam extendit rugas abigens: ossa contra [b] venena dantur: renes medentur [c] morbis vesicæ: carnes phthisicis [d] prosunt: pellis [e] impauidos infantes facit: seuum cicatricibus, lichenis, leprisque [f] colorem reddit: vrina [g] renum vitijs medetur; quin & fimo Asinino sanguinis [h] eruptiones cohibentur: quum & viuus Asinus totus, ingentia commoda mortalibus afferat; vt merito Plinius asserat, quæstum ex Asinis, opima prædia exuperare; iureque in eius laudem & Plato concesserit, dum in Phædro scribit, *Phædrus equum putat esse illud animal quod ex omnibus domesticis auriculas maximas habet. Sed quando obnixe tibi persuadere conarer oratione in Asini laudes composita, equum illum vocans affirmansque præstantissimum animal esse, vtile domi & foris, ad bellum promptissimum, ad sarcinas ferendas aptũ, & ad multa alia commodissimum. Nonne præstat ridiculum amicum esse, quam grauem & inimicum? Quando igitur orator boni malique ignarus ciuitati similiter affecta suadet, non oratione quidem in vmbra Asini laudem, tamquam equus illa sit, composita. &c.* Plato, vere philosophus præstantissimus, Asinum laudibus ornat;

x *diosc. l. 2. cap. 40.*
y *Diosc. l. 2. cap. 38.*
z *cap. 64.*
a *Plin. l. 11 cap. 41.*
b *l. 28. c. 10*
c *l. 28. c. 15*
d *ibid.*
e *l. 18. c. 19*
f *l. 28. 12.*
g *Diosc. l. 2. cap. 74.*
h *ibid. c. 75*
i *lib. 8. c. 43*

nat; & illum, immo vero illius vmbram equo comparare non dubitat; & tu despicis Asinum? nec iure certe, nec merito. Summos igitur hos viros imitare, mecumque disputare ne graueris. VER. Potis ego non ero tuam hodie tamdem obstinationem expugnare? apage te hinc iterum Asine, vel tace: non enim possum amplius tuam audire vocem: iterum infausta mihi & ominosa dies, quæ te duxit huc apud me: res nulla mihi tecum est, sed cum Vlysse. AS. Nescio num mala, vel bona dies te duxerit in Italiam e Lusitania; me bonam huc aduexisse fortunam iudico, vbi formam humanam recuperare spero, gloriamque nancisci: sed certe miror, mi Veruex, me non posse nunc a te pacatam auscultationem exorare, vel extorquere; quum olim vmbra mea sola, vel [k] Platoni digna laudibus visa, quin potius vmbræ meæ sola mentio conciliauerit auditorium insigne Demostheni; quod admirabilis, ac propemodum diuina summi Oratoris eloquentia non potuit; quum enim, teste [l] Plutarcho, [m] *Maximis de rebus aliquando publice dictur us Demosthenes, aliud agere plerosque videret; neque quicquam minus Orat orem deceat, quam sine attentione loqui, verba sapienter vertit, ac de vmbra Asini dicturum se recepit; quo sine alia persuasione, aut fuco, protinus obtinuit quod voluit; nam qui ante, quum de rebus summis, ac fortasse de communi Ciuitatis incolumitate, quæ ad muros potentissimum habebat hostem; aut de ma estatis iure, quod penes populum tum erat, multis frustra egerat, inusitatam protinus populi attentionem expertus est*: & tu Veruex loquentem ipsum met Asinum despicis, ac refugis, non admiraris? quid ni fieri posse credas vt ego sim vnus ex illorum Asinorum numero, qui Rege adhuc Saturno, [n] Platonis contestatu, voce ac ratione vtebantur? turpe prorsus est ac iniustum eas voces audire nolle, quæ ratione nituntur: audi meas, & iudica num tales dici debeant. VER. Fabulas mihi nectis, & vis vt illas auscultem? apage tertio Asine, vel tace. AS. Historiam Demosthenicam de vmbra Asini deturpare non potes nota fabellæ; nam & eam, præter virum doctum, Plutarchus agens de vita decem Rhetorum, dum de Demosthene loquitur, attulit inquiens, *Quum aliquando in concione Athenienses eum non sinerent orare, breue quippiam se ijs velle dicere professus est: factoque silentio est ita fatus. Adolescens quidam æstate Asinum conduxit ex Astu Megaram eo vsurus; meridie quum Solis æstus esset vehemens, cum ipse, tum Asini dominus in vmbra iumenti cubare volentes, alter alterum pellebat; quum dominus non vmbram a se, sed Asinum esse locatum: conductor in sua potestate esse omnia contenderet. His dictis ille abire cœpit: Athenienfibus*

autem

[k] *in Phædro.*

[l] *de vita x. Rhet.*

[m] *Menss. de laud. Asin. pag. 2.*

[n] *in Polit.*

autem retinentibus, vtque orationem pertexeret rogantibus: ergo inquit de Asini vmbra audire vultis, de rebus serijs differentem audire recusatis? Verum & Platonica fabula est philosophica, quam maxime virum philosophum decet, vt ait o Aristoteles: o 18. *sect. probl.* 3.
Porro Platonis verba leguntur in Ciuili luculentissima, p *Si Saturni quondam alumni in tanto ocio, & libertate vitæ, potentiaque, non solum inter se, sed etiam cum bestijs colloquendi, hisce omnibus ad philosophiam vtebantur, inter se, & cum bestijs viuentes, sciscitantesque ab omni natura, quæcunque propriam sentiendi vim aliquam differentem ab alijs habet, ad prudentiam acquirendam, facile iudicari potest illos longo quodam interuallo nos ad beate viuendum exuperasse. Sin autem epulis affatim, & poculis saturati inter se, & cum bestijs tales fabulas conferebant, quales de illis nunc referuntur, hoc quoque ita, vt mea fert opinio, facile admodum indicaretur.* p *de Regno*
Si ergo Platoni laudantur homines, qui cum bestijs æuo Saturni loquebantur, vt pote quibus ad Philosophiam vterentur; & ad prudentiam comparandam supra eos, qui posteriori seculo poculis & epulis ad satietatem plusquam nimium indulgentes contempserunt alloqui belluas, a quibus occasionem habere poterant philosophandi: cur tu, Veruex quum sis, etsi Medicum & Philosophum præstantissimum passim te prædicas & inscribis, cum Asino de rebus philosophicis colloqui respuis, ac dedignaris? VER. *Quoniam* cum q Cœlio *Asinum Aegyptium venire in prouerbium perspicio, pro eo quod derisui sit omnibus, quemque omnes insectentur, conuellant, lacerent.* As. Omnes? non ita, mi Veruex, sed Aegyptij soli, ac nequam homines; at ij non bene, nec impune: non quidem omnes, quoniam r Valeriani testimonio, Asinus bonum omen bonis est; & proinde. *quod simulachrum & Asini, & Asinarij eneum est ab Augusto dicatum. vtriusque nomen in caussa fuit, quod ab his ipse victoriæ præsagium, cepit, quum apud Actium ei in aciem descendeti facti obuiam essent, agasonique nomen Euticho esse, bestiæ vero Niconi intellexisset; quid enim non bene ominaretur victoriæ nomen bonæ fortunæ iunctum? sed habuit augurium hoc aliquid quod mouere posset, quum tam speciosa essent nomina. Quid autem in illo fuerit mirum est, quod C. Mario apud Fanniam Minturnis custodiæ credito, Asinus qui ruditu quodam ingenti vociferatus fuerat, in domum eius a fronte cursu rapido profectus, sperandæ salutis maritimo itinere augurium dedit. Iam & in augurali si quis ægrotet, vidisse Asinum, qui a lapsu se sustulerit, indicat eum conualiturum, in omnibus dicente quopiam, Viden' vt Asinus se se erexerit? decumbentem indicat surrecturum:* Apud Pausaniam in Phocicis, *Dedicarunt etiam Ambra-*

q 30. *ant. lect. c.* 21.
r 12. *Hier.*

braciotæ aneum Asinum, victis nocturna pugna Molossis: quorum insidias ruditu patefecerat. Non igitur omnes Asinum despiciunt, ac lacerant; sed plebeij tantum, & improbi; nec iure. *Siquidem eidem Pierio, vineas colere non alio nos doctore didicisse nonnulli tradunt, quam Asino, quando is putandarum vitium & autor & præmonstrator fuerit: nam abroso ab eo vitis palmite, vindemiam inde feraciorem prouenisse obseruatum est; idque summa secuti diligentia mortales, latiorem sibi quotannis prouentum compararunt: Eius rei monumentum Nauplia spectabatur, vbi lapideus Asinus grata posteritatis memoria dedicatus fuerat. Huc illud addam, quod is neque mortuus quidem officium facere desistit; siquidem Vadmonius compertum ait, caluariam eius in hortorum medio depositam, ad loci fertilitatem facere.* Id autem multo prius in Corinthiacis Pausanias notauerat. Mirifice cultus igitur est Asinus a probis, & summis viris, adeoque vt Rex Ochus & se Asinum appellari consentiret, ac de Asinum despicientibus proscindentibusque iustas sumpserit pœnas; quod illico subdit Valerianus, cui *Ochum Persarum Regem ἱερογλυφικῶς per Asini simulachrum in primis Aegyptij notauere, qui cum maxima intercedebant odia, vt fieri solet inter eos, qui de Imperio, deque libertate dimicant: hunc inquam Aegyptij sceleratum pollutumque Asinum cognomento vocitabant: in quos ille, vt Dinon scripsit, hac est retorquere solitus, Asinus profecto vestrum deuouebit bouem; Apimque ita postmodum mactauit, Asinique eos imaginem auream compulit adorare, quo nihil illi vnquam ignominiosius accepere.* Caue igitur Asinum ludibrio habere, ne te quispiam Ochi Regis factum imitatus, mactet ad Aram Asino dicatam: non ne vides Asinum ab * Homero comparari fortissimo Græcorum Heroi, Aiaci Telamonio? En Homeri verba,

Sicut autem quum Asinus in aruum profectus vim intulit pueris
Piger, circa quem iam multi fustes fracti sunt,
Depascitque ingressus altam segetem: pueri autem
Verberant baculis: vis autem infirma ipsorum est,
Vixque expulerunt postquam saturatus est pabulo:
Sic tunc deinde Aiacem magnum Telamonis filium
Troiani magnanimi, & e longinquo conuocati auxiliarij
Ferientes iaculis medium scutum semper sequebantur.

Sed cum Aiace, nunc Regulo, maius postea, quam mecum tibi negocium erit, o Veruex; nunc mecum age. VER. Quid me semper Veruecem appellas? non ne vides me bipedem? As. Si Iuuenalis hæc tua

Negligit, atque alium bipedem sibi quærit Asellum,

iam

ibid.

* *Iliad. 11.*

iam bipedem etiam Veruecem esse posse testatur: sed, quod potius est, si Plato in Phædone, si pariter Origenes in opere suo de Principijs vtcumque statuunt animas hominum in Asinorum, aliarumque belluarum corpora transire; puta iam te non cum Asino quadrupede, sed cum Epeo loqui; quem sub Aselli corio texit olim Simonides, velut Epeus cum Veruece a Circe mutatò loqui non dedignatur: scitoq; parum interesse inter Asinum meum, ac Asinum Luciani Samosatensis, & Lucij Apuleij Madaurensis, & Socratis Atheniensis; qui fuere Philosophi præclari, & sub Asini forma retinuere mentem & rationem humanam: De Lucijs ambobus illis puto te nosse vulgatissimam metamorphosim a Palæstra, & a Photide Thessalis mulieribus. De Socrate, veteribus ab Asino non discreto, locuples testimonium habere poteris ab Aristophane in eo dramate [u] Nubes inscripto, in quo festiue traducitur, afferente venustissime [u act. 4 sc. 5.]

τί δῆτα λῃρεῖς, ὥσπερ ἀπ' ὄνε καταπεσών; id est,

Quid nugaris, tamquam ab Asino lapsus?

Quod audientes Athenienses ambigerunt, vtrum ἀπὸ νῦ, quod est, *a mente*, an ἀπ' ὄνε, siue, *ab Asino*, intelligendum esset; quod vt inter litteras, sic inter res, de quibus agitur, exiguum discrimen esset: [x] Platoni siquidem, [y] Plutarcho, & veteribus alijs, quum Asinus pro eodem propemodum habeatur ac Mens (qua nihil est honorabilius [z] Aristoteli) idem est, *Ab Asino delabi*, atque, *A Mente decidere*. ac Platonis quidem aurea verba sunt; [a] *sed cur hæc nobis dicta sunt, repetendum mihi videtur, vt oratio quasi equus retrahatur, ne si os effrenatum habeat, dicendi concita impetu, Ab Asino, vt prouerbio ferunt, excutiatur*. Quo in loco Plato non solum equo comparat Asinum, sed etiam Menti, quæ [b] mater est orationis. Quin & ipse Ptolemæus Aegyptiorum Rex, vel inuitus, vi sola veritatis coactus, præclata monumenta retulit in Asinum autorem; qui, contestatione [c] Valeriani, *Heraclidis Lycij de laboris laudibus lucubrationem festiuiter illusit*, at illudens maxime celebrauit, eam referens in animal, quod est sapientiæ symbolum: *nam quum Heraclides librum, cui titulum fecerat, πόνε ἐγκώμιον, Regi obuiam facto, quidque præ manibus haberet interroganti, obtulisset; Rex accepto libro, π primum tituli elementum statim abrasit; atque ita pro Laboris laudatione, Asini commendationem legendum ostendit; quippe ὄνε ἐγκώμιον. labores scilicet illos, quos tot ille laudibus, in cælum extulerat, ad Asinum potius quam ad Hominem spectare*. Verum & Lucianus in [d] Necyomantia decretum affert, quo diuitum animas in Asinos demigrent. Age igitur, o Veruex, omni contem-

[x 3. de leg.] [y in Gryll.] [z 1. de an. t. 82.] [a 3. de leg. in f.] [b 1. peri her. cap. 1.] [c 12. Hiero.] [d dom. 1.]

ptu

ptu deposito mecum disputaturus congredere: paratus ego sum causam Vlyssis mei sustinere: tu si quid habes aduersus eum, libere profer. VER. Quando me cogis inuitum ad hanc litterariam concertationem, ea iam ex me audies, quæ tibi molestissima futura sunt, & Vlyssi tuo perniciosa; teque pœnitebit irritasse crabronem. AS. Pacatam, mi Veruex, ac moratam disputationem habeas mecum; nisi vis te prodere natum sub Ariete; quod signum [e] Astrologi dicunt *efficere hominem animo superbum confidentem in suo proprio consilio, exigui ingenij, inuerecundum, ad gulam, & ebrietatem pronum, præcipitem, temerarium, & corpore grossum, atque pinguem*: quæ dotes an in te sint, norunt omnes quicumque te norunt. Duo quidem, vt soles, in nos vibrare potes, argumenta contra doctrinam, & opprobramenta contra natales & mores: quum argumentis plurimis respōdendi munus datum sit Basilisco; meum nunc est tuis potissimum opprobramentis occurrere; quę mihi decretum est, non consimili scurrilitate rependere, quia sic, vt ait [f] ille,

Hoc scio pro certo, quod si cum stercore certo,
Vinco, vel vincor, semper ego maculor.

SIB. Optime sic Salomoni parebis, qui primum hoc vnicuique, a maledica, & obscæna lingua lacessito salutare præceptum dedit, [g] *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis*. AS. at vero tuas calumnias veracibus historiarum testimonijs, publicorumque monumentorum fide, nec non etiam eruditionum nitore purgare conabor, vmbras omnes tuarum lædoriarum, ac imposturarum discutiens; & quæ Vlyssi probro dare tentas, ea illi concedere in decus ostendens; quæ vero tibi arrogas in gloriam, apud veteres esse dedecora demonstrans. SIB. Et hoc immediate tibi præcipit idem Salomon addens, [h] *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*, sed resipiscat. AS. Age fare, Veruex, quid tandem opponis Vlyssi? quid contendis in hoc tuo volumine? VER. Duo mihi proposita sunt in hoc opere, commentario declarare multiplice didascalia libellum Hippocratis Coi de alimento; & quæstionibus respondere Autori operis de his qui diu viuunt sine alimento, qui mihi opposuit ferias altricis animæ. AS. Laudo vtrumq; tuum institutum: sed circa primum caue ne tenebricosis dogmatibus Hippocraticis vmbratica doctrina tua maiores tenebras offundas: circa secundum serua decorum tuæ personæ, quemadmodum in ferijs Vlysses; & agens vtrobique de alimēto salibus & aculeis vtere, sed abstine a scurrilium lędoriarū & imposturarum excremento. Ceterum quando ex instituto tibi

[e] R. Flut. cosm. tr. 2 p. 10. l. 2. pag. 576.
[f] B. Sol. Tr.
[g] Prou. 26.
[h] ibid.

tibi proponis agere de alimento non solum didascalice, sed multiplice, vt ais, didascalia varias in vtramque partem controuersias disputas; dic mihi, te precor, alimentum cuius generis? VER. „ *Alimentum i illum de quo commentarium composui* non vides, ad quod genus referam? As. Video, sed tibi dico, alimentum illud, quod ab Hippocrate tractatur, esse quidem masculum, masculo sermone dictatum; sed tua grammatica masculа non est, quæ tribuit alimento genus masculinum: & possis tu tot nebulosis stellis marginalibus notare vitia grammatices in Ferijs, qui neque concordantias calles? qui paullo post eadem peritia grammaticæ scribis, *l Viuit adhuc animal morti proximus?* Ceterum quid a te accidit Vlyssi meo in hoc opere tuo? VER. „ Argumentorum funibus, authorumque securibus * Satyro cornua ligantur, confriguntur. As. Bene id illi cedet, & male tibi, o Veruex; etenim Virgilius * ille Sirenophœnix Syronem, siue Silonem, Philosophum insignem, a quo philosophiam edoctus fuerat, laudaturus, mystica transformatione mutauit in Silenum Satyrum seniorem; seque Virgilium, & Quintilium Varum amicum optimum conuertit in Satyros iuniores, Chromin, & Mnasylum, adnotatu Seruij: nam obseruatione Pausaniæ in Atticis, grandiores ætate Satyri dicuntur Sileni; minores natu, communi nomine Satyri. Satyrus autem quilibet supra conditionem humanam ab *m* Aristotele, & a Plutarcho numeratur inter semideos: & quæ cornua gerit in fronte, Macrobio *o* sunt radij mystici luminis; quod geminum *Deus p* accendit, vt ait Aristoteles, in anima studiosi, sub nomine intellectus *q* agentis, atque possibilis: SIB. propterea Moses, quem Philo *r* sapientissimum philosophum fuisse contestatur, a colloquio diuino, quo mirifice fuerat illuminatus, rediens *s* cornuta facie dicatur fuisse in sacra pagina: illius autem cornua, *t* sanctorum patrum testimonijs, & Lirani *u* relatu, fuerunt radij quidam diuini splendoris, & gloria quædam intellectus humani, mirabiliter a summo Deo illuminati, redundans in corpus. As. Talia sane cornua Deus accedit in animo mei mystici Satyri; quæ si tu floribus, ac sertis veracium argumentorum, vt olim Chromis, & Mnasylus cum Aegle splendidæ pulchritudinis nympha vincire tentabis, vltro se ligari patietur, & duci quocumque voles ad veritatem: ac vt pridem a binis pueris, & nympha vinctus, dolum ridens, Epicuri magni philosophiam cecinit,

(Namque canebat, vti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,

i *sect. 2. pa. 192. col. 1 lin. 46. 47*
l *sect. 2. pa. 208. lin. penult.*
* *Vmbra. 1*
* *ecl. 6.*
m *ad Eudem. &*
2. de an. t. 29.
n *conf. ad Apoll.*
o *1. Sat. ca. 22.*
p *3. rhet. c. 10.*
q *3 de an. t. 18.*
r *de mund. opif.*
s *Exod. 34.*
t *D. Paul. 2. corint. Orig. Isid. & Gloss.*
u *exod. 34.*
x *Virg. ecl. 6.*

Et liquidi simul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit orbis.)

y Plat. 1. de leg. ita Satyrus Vlysseus tibi, seni y bis puero, suaui cantu caneret Aristotelis maximi sapientiam, quomodo nutricatio per vniuersam vitam producatur; nec tamen ideo fit necessario ingis, & continua functio, sed plerumque interrumpatur: etenim Satyri, nisi vincti, nunquam vaticinabantur: Maximus namz serm. 30. que z Tyrius ait, Silenum vinculis constrictum multa prædixisse Midæ; quocum maximam tu cognationem habes in auriculis. Ouidio a quoque,

a 11. meta. *At Silenus abest; titubantem annisque, meroque*
Ruricolæ cœpere Phryges, vinctumque coronis
Ad regem duxere Midam.

b cons. ad Apoll. Plutarchi b notatu, scribit etiam Aristoteles c vinctum Silenum c dial. Eudem. Midæ oracula dedisse sapientiæ. *Morem hunc extendit latius* eruditissimus De la d Cerda *ad omnes Semideos, qui nisi vincti* d in Vir. ecl. 6. *non vaticinabantur. Suppeditat hoc historia Protei, qui vinctus ab* e *Aristeo; atque etiam historia Fauni, & Pici, qui vincti ab Nu-* e 4. Georg. *ma.* Quem igitur vincire paras Vlyssem Satyrum, interim hunc Semideum facis. Verum quia tetris vmbrarum (quæ captiosæ falsæque sunt ratiocinationes) funibus, comitatusque iurgiorum Dea rabie Semideum Pana tu Mons Athos ligare præsumis; ideo marcidos fallacium argumentorum rudentes tuos radijs mentis suæ facilius comburet Vlysses, quam olim Archimedes radijs Solaribus speculo exceptis hostium naues obsidentes patriam Syracusas: tu ipse namque prodis tuas argumentationes esse fragiles & plane marcidas, dum eas minoris virtutis asseueras, quam sint autoritates; quum minoris virtutis sit ligare, quam confringere; si quidem autoritati vim probationis imbecillam esse constat. Ceterum radiantia cornua mei mystici Satyri sunt a tuis Securibus secura satis: & quum f Macrob. 1. Sat. ca. 22. Satyrorum cornua semper in bonam f partem apud antiquos mystas accipiantur; *ergo Inui cornua (*Macrobius inquit*) barbaque prolixa demissio naturam lucis ostendunt, qua Sol & ambitum cœli superioris illuminat, & inferiora collustrat*: scias ex aduerg Daniel. 8. so cornua Veruecis apud sacros autores in g malam significationem assumi. Quare tu nunc inuitus & ingratijs veritate solacoactus eum summopere laudas, quem dehonestare frustra conaris: magna profecto vis est veritatis. CIR. Prima hæc velitatio bene cedit Asello: certe decens non erat alteri, quam Asello committere tutelam mystici Satyri; quum Sileni vector pro Domino caussam agere teneatur. As. Quid emblematis habes.

habes in tui stabuli frontispicio, Veruex? at prius explica quo autore libellus iste famosus, dignus æternis tenebris, prodierit in lucem. VER. Authore Stephano Roderico Castrense Lusitano, philosopho ac Medico h præstantissimo, & dignissimo Antecessore. As. vulgo dicitu tuos vicinos vel malos, & inuidos esse, vel rusticari; ideoque tuas te laudes prędicare coactum: Sed ego dico, te propterea præstantissimum esse, quod non alienis laudibus celebreris, sed proprijs; etsi namque nemo te celebret, tu te passim collaudas encomijs ornas pariter & oneras: ad quod munus te hortatur vir eruditus, adiecta caussa, ob quam tu te laudare possis, tu te laudare debeas, hoc disticho, h Vmbr. 2.

Laudare, o Medicorum Præstantissime; nam tu
Non finis ægrotos febre iacere diu.

ast, amabo te, nobis explica quorum tu sis dignissimus antecessor, ne tibi contingat, quod olim Socino Iurisperito fertur euenisse; defuncti siquidem ad exequias quum multa perferrentur epigrammata, legebatur inter alia suspensum hoc vnũ,

Iuris te dicunt cuncti Socine peritum;
Cuius non addunt: sic potes esse coquus.

Nisi tu nunc adieceris quorum sis dignissimus antecessor; sic potes ignorantium, insulsorum maledicentium, & scurrarum antecessor esse. Ceterum quid habes in emblemate? VER. Satyrum tuum comprehensum a meo Mercurio, illi minitante, *Dabis improbe i pęnas.* As.

k *Dij prohibete minas, Dij talem auertite casum,* i Vmbra. 3. k 3. Aen.
Et placidi seruate pium.

Sed en quomodo nunc in spem erigunt me numina! non audis quid acciderit!

subitoque l fragore l 2. Aen.
Intonuit læuum, & de cœlo lapsa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Dat lucem, & late circum loca sulphure fumant

fœtidarum lędoriarum Castrensium dignissime combustarum; an non audis Misoponerum! ei namque

Cœlituum est odor ambrosius, graucolentia terræ
malorum
Est hominum: semper redolent sua flumina pisces:
Hi fatuas stagni, salsas illi æquoris vndas.

ita veruex fętorem opprobramentorum. O veruex, *consilio melius vinces, quam iracundia*; hoc te iambo monet ipse Syrus: *est apud Tenarum,* Plutarcho m teste, *quam Stygis aquam appel-* m de pr. fr.

C 2 lant,

lant, e saxo parcis scaturiginibus confluens, ita frigida, vt omnia vasa rumpat, solaque Asini vngula possit contineri: sic ego calce minas tuas istas frigidissimas impune recipiam; nam impuræ viduæ voces, ac feminæ [n] furentis minæ sunt istæ: tu, qui minas a Didone deflorata & desperata mutuaris, quas in Vlyssem iacias, Timæi [o] Locri metamorphosim pateris, ac veram esse teipsa confirmas; asserit enim, improborum animas in corpora feminarum demergi: tu, qui Didonis, impudicæ feminæ, minas, & mentem induis, quomodo Vlyssem, quem facis Aeneam tuis hisce minis, improbitatis accusas? an non audis eum a claris autoribus audire pium? Sed quicumque tui antagonistæ mores norunt, omnes ab eo procul abesse mentitam hanc tuam improbitatem agnoscunt, atque fatentur. At vero tu dolore rabieque percitus hæc effundis; omnesque docti probique viri didicerunt e Syri trochaicho, quod

n 4. *Aen.*
o *de vniu. nat.*

Animo dolenti nihil oportet credere.

Verum enimuero tu non animaduertens, Vlyssem summopere laudas hac tua lędoria tam minaci: verus es vates, o Veruex; Vlysses meus dabit tibi pœnas, quas olim Didoni dedit Aeneas; nimirum ille post discessum a Carthagine peruenit in [p] Latium, ibique Lauinia potitus vxore regia, conquisitoque sibi regno Latini, seuit incunabula Romæ, quæ denique Carthaginem funditus euertit: Dido vero furibunda demens Aeneæ gladio semetipsam [q] transfixit, rogumque conscendit, in quo deusta diem obijt infamis; quæ potius verecundiæ rubore prius deuri debuerat, quam castis Hiarbæ nuptijs repudiatis alienigenæ militi se in antro prostituere. Ceterum quum suis operibus Vlysses passim apponat Mercurium, qui Pana Satyrum fugientem insequens comprehendere conatur, indicans adiecta sententia, *fortasse licebit*, eniti se contemplationis ope, cui præficitur Mercurius, mente comprehendere naturam Vniuersi, Mundumque sensibilem hunc totum, qui Veteribus per Satyrum Pana figuratus, est naturalis philosophi scopus atque finis: tu figuris ijsdem, sublata prima, sententiam aliam longe diuersam apponens, *Dabis improbe pœnas*, tuo Mercurio Vlysseo Pani minitante; iam supponis, ab Vlysse Pana comprehensum, mundique totius cognitionem intellectu conquisitam (Mens enim [r] Aristoteli fit id, quod intelligit) neque velle doctrinam Vlysseam destruere: sed quemadmodum tu longe aliud cogitans, occulta vi veritatis coactus es confiteri meum Vlyssem iam factum Pana semideum, Philosophiæ finem adeptum fuisse; sic agnoscere debes ab Astrologis, Mercurium ancipitis

p 7. *Aen.* & *seqq.*
q 4. *Aen.*
r 3. *de an.* t. 8. 18. 37. 38.

cipitis esse naturæ, cum bonis probum esse, & cum malis improbum: qualis vero sit in hoc tuo commentario, & alijs operibus abste vulgatis; qualisque semper fuerit cum Vlysse meo, satis aperte norunt omnes litterati, & probi viri. SIB. Verum quoque Vaticinium hoc veruecis est, valdeque decorum Vlyssi ea ratione, quoniam contemplationi pœnas dat acerbas Philosophus, qui diurno studio vigilijsque Mundi cognitionem assecutus in Pana Satyrum mutatus est? Pan enim, hoc est Mundus a Summo Deo traditus disputationi hominum, sui contemplationem facit esse pessimam; quam dedit etiam Deus hominibus; nam eos ipsa reddit valetudinarios, melancholicos & improbos, hoc est improbo labore difficultatem sapientiæ superare satagentes; vnde contemplatione iugi mire pallescunt: & sane pallore, valetudineque pœnas Vlysseum Pana dedisse Mercurio contemplationis præsidi, pulchre cecinit Osij Musa nobili epigrammate sub eius effigiem apposito in operibus de Intellectu Agente, deque animorum immortalitate. As. Vis ne dicam libere, mi Veruex; quid tibi vere dabit Vlysses? profecto quod ferienti Iudæo u cute tenus incisa dat Balsami plantas; pretiosos nimirum sine pretio liquores doctrinarum, & eruditionum: sæuias in hanc plantam, si lubet, quantum olim x Plinius testatur sæuijsse Iudæos, nunquam deerunt Romani, qui viriliter eam defendant: vnguiculis, seu potius retortis & acuminatis contradictionum cornibus Vlysseam stirpem incide quantum potes, ea semper icta dabit opobalsama curto: mihi non credis? iam crede Dioscoridi, cui y *Balsamum in Iudæa solum quadam valle, & in Aegypto nascitur: æstiuis sub ortu Canis ardoribus arbos vnguibus ferreis inciditur; manatque e plaga succus, quem opobalsamum vocant; inibique ponderis duplo rependitur argento.* Crede Straboni, cui z *Balsami arbor apud Iudæos odorata est, & fruticosa, & terebintho persimilis: eius corticem vulnerantes succum in vasis suscipiunt tenaci lacti persimilem.* Crede a Theophrasto, crede b Plinio consimilia dicentibus. Crede Cl. V. Alberto Campanio, cuius elegans, at ingeniosum audi anagramma, & epigrāma recitatum a nobili Cicada. CICADA. *Ad Fortunium Licetum in Apologeticis maxime monumentis ad admirationem accuratum ac Florescentem.*

t *Eccles. 3.*
t *Eccles. 1.*
u *Diosc. l. 1. cap. 18.*
Matt. ibid.
x *lib. 12. cap. 25.*
y *lib. 1. cap. 18. Matt. ibid.*
z *lib. 16.*
a *9. de hist. pl. cap. 6.*
b *lib. 12. c. 25.*

FORTVNIVS LICETVS.

Anagramma.

FLORET IS VNVS ICTV.

Epigramma.

Iuppiter excussit lepidum ceruicibus ictus

Flo-

Florentis germen Palladis aue parens:
Nec natiua rosas regali murice pinxit,
Sanguine purpureas reddidit icta Venus:
Mortales inter Licetus Floret is vnus:
Nostri: *Liceteis æmulus vne Deum.*
Acrosopho Certisiori & Philosymbolanti p. A. C.

As. Quid ad tuum Mecœnatem scribis in epistola dedicatoria de tuo Antagonista? VER. Res agitur cum vermiculo; quem

c Vmbr. 4. calcatum iri certo scio, quod si, tanquam calcata Cenchris, *c* refragauerit, maiorem prastò ruinam experietur, &c. SIB. Optime: Vermiculus est Vlysses, qui de se seu perhumiliter sentit; qui vt olim Christus dominus à Iudæis despectui habitus dicit

d psalm. 21 se *d* vermem esse: Vlysses quidem, vt Dauid; tenerrimus est li-

e 2. Reg. 23 gni *e* vermiculus, qui perforat lignum durissimum obstinatissimi curti; & quum in se mansuetissimus & mitissimus sit, atque non procero corpore; contra hostes fortissimus est, & colossea mole gigantem superbiæ Goliath interficiet. Mirum est à Verneco vermiculum opprobrio dari nunc Vlyssi; quum in veteri testamento vermiculus in bonam partem accipiatur; vero

f Exod. 35. *f* vermiculus ille dicendus est Vlysses, quem Domino dederunt mulieres doctæ, nimirum Philosophus Medicus non superbus; quem disciplinæ dederunt Deo vero seruum. As. Addere liceat, Vlyssem esse vermiculum, e cuius ore serica fila fluunt aureæ sapientiæ, & argenteæ eruditionis; Ceterum

Et semper recto lapsurus tramite Cenchris,
(Pluribus ille notis variatam tingitur aluum).

* lib. 9. de te valde queritur apud * Lucanum, quod eum emasculaueris: conqueritur de te similiter apud Nonium Marcellum

* lib. 23. Hist. & apud * Sisennam verbum *refragauerit*, quod antiquissimam illius suffragandi significationem sibi furatus sis, & ipsum violentus attraxeris inuitum ad significandum actionem repugnādi: at vero tibi permissum sit, vt obscœne, sic etiam impure loqui; & quartæ huic vmbræ grammaticali quintam superius ad-

h Vmbr. 5. das, quam contra latinitatem omnem in particula *g facescens* effutijsti. Sed quis epistolium prodromum operi præmisit post nuncupatoriam? VER. Rhamnusius Mastix Seuerinus Lectori S. As. Rhamnusia fuit Adrastia, quæ & Nemesis; Nemesim autem induit in Ferijs iure Licetus bis lacessitus & iniuste contumelioseque; prouocatus a te Macrocosmista, & Asiriaste; quare Rhamnusius Mastix idem est ac Liceto-Mastix: plurimum hoc nomine tibi debet Licetus, quod Homero-Mastigi, & Virgilio-Mastigi, tu tertium te faciens Liceto-Mastiga (per me sis

etiam

etiam, addita litterula, Mastigia litteratus. Licetum colloca ueris inter summos litterariæ Reipublicæ proceres consortem. Sed parce tuæ nunc existimationi; non ne vides te te Zoilum facere: qui vero Seuerinus tibi diceris; cur non, adiecto sequenti cognomine, vocaris etiam Boetius? at epistolium recita. VER. Admonendus mihi es Lector, Satyrum, quem sic appellare libet, hunc sibi suo genio, suo etiam ingenio nomen comparasse. AS. Bene tibi sit, qui pulchro soloecismo *nomen* [h] *hunc* Satyri tribuens Vlyssi, meum amicum extollis supra conditionem hominum inter semideos; nam Aristoteles ponens viuentia hominibus [i] honorabiliora, cogitatiuum principium habentia præter intellectum, dum ait citatis verbis, *Quibusdam autem ad hæc inest & secundum locum motiuum; alijs autem cogitatiuum, & intellectus, vt hominibus, & si quid aliud huiusmodi est, aut honorabilius;* nil nisi Satyros intelligere potuit; quos ipsemet in Eudemo, contestatione [k] Plutarchi, scribit diuinitatem quamdam habere; vt propterea Satyrorum dictis ac testimonijs homines tamquam oraculis diuinitus perhibitis acquiescere debeant: audi verba Plutarchi, *Multi quoque, vt ait Crantor, ijque sapientes viri, non nunc primum, sed pridem deplorauerunt res humanas, supplicium indicantes vitam hanc esse, & summæ calamitatis loco ducentes nasci hominem. Hoc ipsum Aristoteles ait, Silenum, quum captiuus ad Midam adduceretur, pronunciasse: cuius hæc sunt (præstat enim opinor ipsa apponere) in Eudemo, siue libro de Animo verba, Itaque, inquit, præstantissime omnium & beatissime, cum felices censemus esse & beatos, qui vita hac defuncti sunt; tum nefas putamus quicquam de ijs falso aut contumeliose dicere; quippe qui melioris iam præstantiorisque naturæ facti sint compotes: Atque hæc nostra sententia ita vetusta est, vt eius & initium, & auctor, prorsus ignoretur; sed ab infinita vsque æternitate continenter ea fuit propagata. Ad hæc vides in ore hominibus esse omnibus iam inde a multis annis tritum illud, quod nam? inquit ille, Quod (ait) omnium optimum est, non nasci: præstat autem mori, quam viuere; eiusque rei multis sunt diuinitus perhibita testimonia: atque huc pertinet, quod narratur, Silenum a Mida isto captum, & a venatione ei sciscitanti quidnam optimum homini maximeque expetendum esset; principio respondere noluisse, vocemque compressisse: tandem, quum vrgendi vt aliquid diceret finem nullum Mida faceret, in hæc inuitum erupisse verba; Aerumnosi genij, & difficilis fortunæ semen in diem durans, quorsum me cogitis ea vobis dicere, quæ vobis nescire erat melius? maxime enim vacantes dolore viuunt, qui sua ignorant mala: Hominibus autem omnino optimum est non nasci,*

[h] Vmbra. 6.
[i] 2. de ani. tx. 29.
[k] Cons. ad Apoll.

nasci, neque participem fieri praestantioris naturae; optimum enim hominibus vtriusque sexus omnibus hoc est: proximum est, quam celerrime mori. Manifestum enim est, sic eum pronunciasse, quod melior sit mortuorum, quam viuorum conditio. Tibi ergo Semideus dicendus est Antagonista, quem Satyrum facis, o Veruex; quum Aristoteli responsa Satyrorū sint velut oracula, testimoniaque diuinitus perhibita. Sed & hæc historia pulcherrime nostram repræsentat; Vlysseus enim Satyrus a tuo Macrocosmista Mida (sic enim me dicere cogunt auriculæ tuæ longe grandiores humanis auribus) probro *l* dudum exceptus, quum tibi nihil omnino respondere voluisset, vocemque compressisset; tandem, quum vrgendi *m* conuicijs Asitiastes finem nullum faceres, in Ferias Nemeseticas inuitus erupit; repetitque nunc partui, montis Athonis optimum omnino fuisse non nasci, neque participē fieri lucis litterariæ, quam vmbris longissimis pariter & crassissimis obtenebrat: sed hoc bonum eum manere, quod ortus celerrime moritur; secus apud omnes litteratos ac probos ostensurus pessimos autoris mores; licet aliquandiu apud plebeculam aliquanti fiat ob famam Roderici de Castro Iudæi Amburgensis, tui consortis, & consanguinei, viri vero docti. Sed tu progredere. VER. Genio, quia nihil melius homuncionis istius naturam exprimit, quam *n* Satyrorum mores, adde etiam figuram. As. Pol tu, licet inuitus & ingratijs, laudas Aduersarium! sic etenim Plato laudans Præceptorem, Socratem, hominem oraculi testimonio sapientissimum, & integrum vitæ, scelerisque purum, sub Alcibiadis persona dicebat, *o Socratem assero persimilem Silenis istis, qui sedentes inter alias imagines a sculptoribus figurantur ita, vt fistulas tibiasue teneant: qui si bifariam diuidantur, reperiuntur intus imaginem habere Deorum. Satyro quoque Marsyæ similem esse dico: & quod aspectu quidem his es persimilis, ne tu quidem, o Socrates, negabis: Quod vero in alijs quoque similitudinem eorum habes, deinceps iam audi: procax, & contumeliosus es; an non? si non fateris; equidem testes adducam*: quæ confirmauit etiam Suidas: Tu certe damnare non potes ea in Vlysse, quæ laudat in Socrate Plato; nihilominus tu nunc ea profers in dedecus Vlyssis, quæ protulit olim Alcibiades in laudem Socratis: verumtamen huc proprium eius est, qui non ex scientia, sed ex affectu perturbationeque loquitur. Ac vt verum est, Vlysseum Satyrum septicanni liberalium artium fistula canentem in operibus proprijs, quam inspirarunt metra *p* sapientiæ, doctorum iudicio, a te conuicijs turpiter lacessitum, ostendisse se habere intus imaginem diuinę sapien-

l 1. de met. micr. c. 9.

m li. de Asitia per tot.

n Vmbr. 7.

o in Sympos.

p Theoc. Sym.

ſapientiæ veris dogmatibus expreſſam in Ferijs, ita nunc vnum falſum proponis, Vlyſſi figuram ineſſe Satyri; quia Luciani notatu in concilio Deorum, & Suidæ q teſtimonio, Silenus caluus fuit, ſimus, corpore obeſo, & ventricoſo, auribus magnis & arrectis: quum Vlyſſes tibi relinquens tales ac tantas auriculas, & corpus obeſum ac ventricoſum, plane contrariam figuram, ſeu corporis conſtitutionem habeat; quia plene comatus eſt, aquilinus, corpore gracili, ventre minime tumido, & auribus mediocris magnitudinis. At ſi Socrates aſperius caſtigans intemperantes, alioſque prauos, ideo Satyricos mores habere dicitur; hoc laudi dandum eſt, vt facit Platonicus Alcibiades r & in hoc Vlyſſem illi ſimilem eſſe non diffiteor, qui Aſitiaſten Veruecem, & Camelum maledictis ac probris diſputantes duplici Nemeſi caſtigauit: & quum Vlyſſes functus fuerit officio Socratico, ſi non reſipuiſtis, vobiſmetipſis imputetur. Sed tu ſequere. Ver. Ingenio, quod ſuis cacographijs emblema præfigit, in quo Satyrus Mercurium r fugit. As. Docti & probi omnes vnanimes aſſerunt in hunc locum irrepſiſſe potius, quam mendum impreſſoris, dirum mendacium autoris; & pro *cacographijs*, corrigentes legunt, *calligraphijs*: adduntque ſenſum, ac myſterium emblematis non reſpicere fugam Satyri, ſed conatum Mercurij, Pana comprehendere ſatagentis; nam Vlyſſes indicare voluit, ſe Mercuriali ſtudio conari naturam vniuerſi comprehendere. Ver. Mercurius eſſe nequit, Satyrus eſſe debet. As. Mercurius, vt dicebam, Aſtrologis eſt conuertibilis naturæ; cum bono ſidere ſociatus, bonus eſt atque beneficus, & eloquentiam, ac diſciplinas fouet: e contra malus & maleficus cum malo adfurta, circumforaneas agyrtarum artes, & mendacia mortales inducit: certe Licetus eſſe nequit Mercurius ille fur alienorum ſcriptorum, neque mendaciorum ſartor; huiuſcemodi Mercurium vltro tibi relinquit: at vero qui Philoſophiæ ſtudijs totam vitam dedens Mercurio contemplationibus aſſidue litat, ille Mercurialis eſt, & Mercurius probus appellari debet. Ceterum ingentes tibi gratias habet Vlyſſes, qui tuo decreto Satyrus effectus, iam ſuo fine potitur; ac a te, licet neſciente, prædicatur ſummus Philoſophus; cuius intellectus Pana Satyrum iam apprehenderit, ac vniuerſi Satyrus iam factus ſit; an non audis iterum Ariſtotelem, cui humanus intellectus ſit ſomnia, quæ comprehendit? Ver. Homuncionem dixi, gigantem putato; hoc eſt, gigantum fraterculum. As. Vera loqueris; audi quomodo: Gigantes duum fuere generum; alij athei, ſuperbi, dijs bellum inferre conati; qui fulminati diuinitus

q *in* [illegible]

r *Vmbr.* 8.

s 3 *de an. t.* 8. 18. 37. 38.

uinitus iacent sepulti sub montibus, aut in montes ipsos conuer-si rigent, vt Athos, Erix, Enceladus, & consimiles terræ filij: alij vero probis moribus, & Deorum filij, qui cælum littera-rium sustinent, vt Atlas Astronomus, Hercules Musagetes, & Prometheus Physiologus, ab omnibus mire meritoque cele-brati: Profectò meus Vlysses inter Philosophos est homuncio, qui de se semper modeste sentiens, nunquam arrogauit sibi glo-riosos illos titulos tumidosque præstantissimi, dignissimi, ce-leberrimi, verticeque sidera tangentis: atuero viris doctis & probis Vlysses in Philosophia gigas putatur; quem etiam qui cum eo non consentiunt opinione, sed litteraria pugna ciuiliter, vt ita dicam, dimicant, passim appellant doctissimum, erudi-tissimum, clarissimum, excellentissimum, Fromundi, Merindo-læ, Sennerti, Mundinij, Zacchiæ, Puteani, & alij plurimi. Quum autem mystici Gigantes in philosophia sint Atlantes quidem Hippocrates, Platones, Aristoteles, & Galeni, philo-sophicum orbem humeris ab antiquo diu sustinentes; Hercules autem Celsi, Plotini, Ficini, Alexandri, Themistij, Philoponi, Simplicij, Auicennæ, Auerroes, Alpharabij, Algazeles, Alber-ti Magni, Diui Thomæ, alijque multi scriptores Classici, pri-morum illorum interpreters; natu minor inter hos tibi nume-ratus Pan Satyrus Vlysseus iure dicitur horum Gigantum my-

t Vmbr. 9. sticorum fraterculus. at quid addis? VER. Terræ filium, t mu-rem ridiculum. SIB. Ego quidem quomodo tale quid asseras ignoro; quum Vlysses nullius montis partus existat; nec alte-rius terræ filius, quam eius, ex qua primus homo plasmatus est a summo Deo. As. Ceterum valde conqueritur, & merito, de te liber tuus, qui tuo decreto Montis Atho partus est, post tot fra-gores minarum & iactantiæ Thrasonicæ natus, quod suos titulos sibi ab omni antiquitate concessos, attribuere velis Vlys-si præter ius & fas omne: Plato quidem in Cratylo, Herodotus in Euterpe, & ante hos Homerus in hymnis te de mendacio sa-tis arguunt, asserentes Pana Satyrum esse filium Mercurij atq; Penelopes castissimæ feminæ, hoc est verum Philosophum esse filium Studij contemplatiui, & Veritatis; quod & Aristoteles

u vmbr. 10 aperuit definiens u Philosophiam esse scientiam veritatis con-templatricem. Perge. VER. Quantumuis autem gigantum sit

x 2. met. 3. consanguineus, nil me x terret. As. Qui scribis, Pana Satyrum gigantem nil te terrere, Rhamnusius Mastix Seuerinus Lecto-ri S. profectò non alius es, quam sub acrostichide dictionum istarum ordine parum mutato delitescens R. M. S. L. S. Roderi-cus Medicus Stephanus Lusitanus Sapientissimus; quum tamē

hos

has litteras Aesopus apud Planudem interpretaretur, *Rodericus Merita Sublimia Liceti Sustollit*; quin &, *Rodericus Maledica Semetipsum Lingua Spurcat*. Verum illud mirantur omnes, vnum te Lusitanum non terreri ab illo Pane Satyro, qui dudum plurimis Gallis militibus sub Duce Brenno bellicosissimis Græciam infestantibus maximum terrorem incutere potuit, ac eorum exercitum numerosum fugare trepidantem: an nunquam audisti de Panico casu? de Panico motu? consule Pausaniam in Phocicis, Euripidem in Rheso, & Pindarum in Nemeis; qui terribilem viris etiam fortissimis Panem Satyrum esse contestantur. VER. Gigantes sub montibus sepulti iacent, & tacent. As. Gigas Athos sub monte sibi cognomine sepultus iacet ac tacet, in Onomastico Geographico; proindeque mons Athos formam refert hominis supini, notatu Magini præceptoris in descriptione Macedoniæ; vt autem tui animi gigas Athos, sub monte Atho vasti tui corporis supina ignorantia sepultus iacet, ita similiter tacere deberet: verum e contra Pan Satyrus gigas hic Vlysseus montibus præsidet, calcansque montes canit suauiter, delectans docto cantu Nymphas, hoc est mentes ingenuas studiosorum sapientiæ; quod apud y Mythologum Plato cecinit, inquiens. y *lib. 5. c. 6.*

Conticeant Dryadum colles, fontesque perennes:
Ipsaque conticeant pignora parua gregis;
Fistula dulce canit quia Panos, labra canoris
Humida vt illius addita sunt calamis.
Hunc circa statuere chorum molli pede Nymphæ
Hydriades, pariter Nymphæ & Hamadryades.

Anytas etiam sub eruditorum ac proborum persona canebat;

Montiuagum colimus cornutum Pana, ducemque
Nympharum: cuius saxea structa domus.

Homeri quoque testimonio Pan Satyrus montibus præest; ait etenim de Pane loquens in hymnis,

Ille niuosa iuga est sortitus, summaque montis
Culmina, saxosos colles custodit & idem.

Ouidio pariter in z Heroidibus celebrantur Satyri numina montium. z *epi. Phæd.*

Sic faueant Satyri, montanaque numina Panes.

Quin & Virgilio a fortunatus dicitur ille, qui Pana, Satyrosque; a *2. Georg.* ceteros nouerit, vt pote a quibus edoceri valeat abditas rerum caussas, ait enim,

Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas:
Atque metus omneis, & inexorabile fatum

Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis auari.
Fortunatus & ille, Deos qui nouit agrestes,
Panaque, Syluanumque senem, Nymphasque sorores.

nempe Virgilius edoctus fuit doctrinam Epicuream a Silone philosopho; Epicurus autem intra ciuitatum septa villas, *b* hortos, nemora, syluasque primus introduxit, in quorum amœnitate philosophiam coluit: adeoq; cum Lucretio pariter Epicureo Fatum, & Acherontem conculcans, Panos nomine, qui Deus nemorum & agrorum, quique veteribus omnem naturam repræsentat; Panos inquam nomine Virgilius indicat Epicurum, philosophum testimonio *c* Senecæ sapientissimum, obseruatione *d* Laertij, infinitorum voluminum scriptorem: Syluanum senem appellat Silonem, quem in Ecloga Silenum nuncupauerat; & per Nymphas sorores indicat condiscipulos; a quibus omnibus tum interrogando, tum audiendo, tum disputando sibi comparare potuit rerum cognitionem per caussas; adeoque felicitatem eam adipisci, quam homini a sapientia in vita contemplatiua contingere monuit *e* Aristoteles. Vt iure mirentur omnes quomodo tu mons in Pana Satyrum montium præsidem adeo petulanter insurgas. at prosequere. VER. Castrum in monte situm esse sentiet, & pondere oppressus gemet. AS. Nimirum Athos gigas, qui Castrum est, in monte sui nominis sepultus, & pôdere sui vasti corporis oppressus animus assidue gemit: Pan vero Satyrus nihilo magis ponderosas tuas argumentationes infestas sibi sentit, quam olim Aristoteles tulit ac sustulit onerosas Melissi rationes; cum quibus tuæ si conueniunt pondere sophistico, falsarumque propositionum onere graues, non Vlyssèus Satyrus montibus tui similibus præfectus, sed Athos gigas oppressus gemet, Athos mons perfossus ac velificatus a nouo Xerxe gemitus edet. Verum enimuero Castrum illud tuum, in monte sublimi iactantiæ superbiæque situm, caueat sibi a terræmotu; memineritque casum Luciferi, qui dum audet sedem in altissimo Dei monte sancto sibi ponere, misere deiectus prouoluitur in barathrum. Sed quomodo Castrum es in monte situm? VER. Quid ni? Castrensis mons est. AS. Quis non te dicat Empusam, dum nunc es Castrum in monte situm; nunc illico mons es? sed cur Castrensis? an quia natus in castris miles gloriosus? an quia *g* Castrensi semper vteris eloquio? Qui vero mons es, vide quem librum post tot tantosque minatum fragores pepereris; veterum iudicio si standum est, tuo decreto *h* terræ filium, ac murem ridiculum. Sed quisnam & qualis

mons

b Plin. lib. 19. cap. 4 Laert. in Vit. Ep. Senec. ep. a 1. 66. 92 & lib. de vit. beat. cap. 13.
c epi. 21. 66 92. de vi. bea. cap. 13.
d in vita Epu.
e 10. eth. cap. 7.
f 1. phys. t. 22.
g Apo'. 17. noct. Att. cap. 2.
h Vmbr. 11

mons audire vis? VER. Nempe i Athos. As. Nihil vnquam verius, aut magis apposite dixisti, sapientum testimonio, nihil enim magis suam naturam, & mores exprimit, quam mons Athos: audi Parœmiographum, *Athos obumbrat latera Lemniæ bouis: vbi quis afficit, aut molestus est, aut gloriam cuiuspiam obscurat, aut alioquin obsistit*: & inferius, *Aetna, Athon. Aetnam, & Athonem montes in molestia tadijque prouerbium abijsse, testatur Lucilius apud Aulum Gellium*, k *Montes Aetna omnes atque asperi Athones. De Atho, quod ob ingentem celsitudinem, vmbra sit molestus, quam in Lemnum vsque trecentis dissitam stadijs mittit, alibi diximus. Obstat & nauigantibus, quod toto longo dorso procedat in pelagus, qua continenti adhæret: vnde & a Xerxe perfossus. Athenæus* l *commemorat Erysichthonem quemdam inexpleta voracitatis, vulgo dictum fuisse βορᾶς ἄθωνα. id est, Voracitatis Athonem.* Athenæi verba sunt, *Hellanicus in* m *Deucalionea, Erysichthonem narrat, Myrmidonis filium, Athonem fuisse appellatum, quoniam cibi esset insatiabilis, & inexpleta voracitatis.* At versione meliori, refert n Athenæus, *Ex Hellanico in primo Deucalionea, Erysichthona filium Myrmidonis Athona vocatum, quasi famem, & esuriem, quoniam inexplebilis esset belluo.* Contestatur & id Casaubonus, animaduertens *Erysichthona Myrmidonis filium, cuius nota ex Callimacho, & Ouidio βουλιμία, quia cibis expleri non poterat, Athona dictum esse*. An hæ conditiones, molestiæ, tædij, ac voracitatis, Athoni tuo monti conueniant; necne, tu ipse scis, & omnes, quicumque te norunt: mirantur tamen omnes cur tu te in hunc montem veteribus infamia voracitatis, tædij, ac molestiæ notatum transformaueris: & e calamo viri docti distichon elicere volueris

Cum se dicit Athon, dicat se Erysichthona, Castro:
Cum sit consimili nomine, & ingluuie:

Perge nunc alias tui montis prærogatiuas afferre. VER. Audistine montem Athon tantæ esse altitudinis, vt inter Macedoniam, & Thraciam surgens vmbram vsque ad insulam Lemnō porrigat? As. Audiui non solum, sed nunc etiam video tui montis vmbram vsque ad insulam Coi senis porrigi, caliginosaque Hippocratis ænigmata de alimento miris modis obtenebrare: conspicioque in adscita tibi celsitudine montis Athonis o vmbram superbiæ. Sed parce quæso tuæ dignitati, qui te dignissimum antecessorem prædicas; non ne tu te doctorem p vmbraticum efficis, ac in vulgus non nisi q vmbraticas litteras mittere te statuis? non ne tu te tenebrionem facis, dum tu te porrigere dicis vmbras longissimas? certe commentarius doctrinam Hippocratis

i vmbr. ... | k lib. 16. c. 9. | l lib. 10. c. 3. | m l. l. 1. | n lib. 10. | o vmbr. 18. | p Petr. c. 3. Plin. l. 9. ep. 2. | q vmb. 14.

pocratis de alimẽto per se satis obscuram illustrare debuerat, & esse luminis propagator, non autem vmbrarum productor. Et quum apud r Valerianum bos hieroglyphicum sit sapientiæ, quod Pallas ταυρο πόλα, & apud Andrios ταυροπόλος diceretur; næ tu mons Athos es, qui obumbras latera non Lemniæ tantum sed Coæ candidæ bouis; nimirum obnubilas, & fimo lædoriarum deturpas candorem Hippocraticæ doctrinæ. Ceterum, quum Alexander ille Macedonum Rex s prohibuerit architecto Stasicrati, montem Athon in eius imaginem sculpere volenti, tantum opus aggredi, superbiæ notam declinans; quomodo tu nunc audacior Stesicrate, superbior Alexandro Magno, temetipsum in montem Athon mystice transformare præsumis? audi quid obijciat vir t eruditus:

r lib. 3.

s Plut. de For. Alt.

t V. M. P.

Aethereum Castrensis Athos gestabit Olympum:
Alcida pondus ne graue cedat Atlas.
At foret obsequium Dijs casu turpius omni,
Officioque hominis cuncta pudenda minus.

Sed etiam quemadmodum, vt nouimus ex Adagiographo, certum est Athonem montem olim obstitisse nauigantibus, quod toto longe dorso procederet in pelagus, qua continenti adhæret, nauigationem retardaret; proindeque perfossum fuisse à Xerse; sic tu nouus Athos nauigantibus per mare magnum Philosophiæ, longe percurrens mendacium opprobramentorum, & fallacium argumentorum humeris in Oceanum Sapientiæ, studiosis ad portum Veritatis nauigantibus plusquam nimium obstas; quare te manet nouus ac mysticus Xerxes, qui te proscindat, perfodiatque. VER. Solebant ad eius verticem homines annuis sacrificijs peragendis ascendere; ibique cineres sparsos relinquebant, quos sequenti anno reperiebant intactos; quia scilicet infra hunc verticem nebulæ, pluuiæ, x tonitrua, & reliqua huiusmodi meteora fiunt. As. Caue ne quis dicat, in capite tui montis Atho vere sacrificatas fuisse liuori & inscitiæ modestiam & sapientiam, relictis cineribus scurrilitatis & iracundæ dementiæ prorsus immobilibus: neue quis asserat in caput huius Athonis nunquam de cœlo descendisse pluuias vitales y doctrinarum; nunquam in eo impositas insedisse veracium & classicorum testium z nubes; nunquam inde audita fuisse tonitrua eloquentiæ; nunquam in eo spirasse sublimium conceptuum Zephyros; immo vero si tonitrua nunquam ascenderunt ad Athonis tui verticem, qui fieri possit vt adeo frequenter ore tanto proprias laudes tones? Ceterum hic tuam vmbraticam meteorologiam aperte coarguit Virgilius, qui montem Athon

x Vmb. 15

y Eccl. 15.

z D. Paul. ad Heb. 12

Athon non minus quam Rhodopen, aut Ceraunia fulminibus infestari *a* cecinit ita, *a 1. Georg.*

Ipse pater media nimborum in nocte corusca
Fulmina molitur dextra, quo maxima motu
Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis strauit pauor: ille flagranti
Aut b Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit. *b vl. l. Athos.*

& quum *c* Solinus, & *d* Mela montem Athonem ab imbribus tutum ponant, nihilque de meteoris alijs decernant; tu tamen repugnante Virgilio, Monti Atho fulmina, tonitrua, & alia omnia huiusmodi meteora infesta negas. VER. Non Castrensem, qui vertice *e* sidera tangit, Nebulones tangunt. AS. Crassissimam hic habemus vmbram superbiæ, quinimmo tenebras palpabiles iactantiæ Thrasonis Iberi, hanc vir eruditus tetrasticho notabat, inquiens *c cap. 21. d lib. 2. c. 2. e Vmbr. 16.*

Nil terret Castrum, quia vertice sidera tangit,
Castro ait, excelsum Castro imitatus Athon.
Cernite terrifica minitantem fronte Thrasonem:
Solus millenos non timet ille viros.

Verum enimuero qui fieri possit vt Athonem hunc tuum dicam nebulis non tangi, quum commentarium vndequaque videam nebulosis stellulis errorum terrioris grāmatices obnubilatum? Scias in cęlo nebulosa sidera * præsepe constituere, in quo cælestes Aselli pascuntur ambrosia luminis; at si tua nebulosa sidera mihi præsepe constituero, parum lucis, immo vero multum tenebrarum in eo comperiam, quas vomitum mouentes dispergere cogar: sed tamen & hoc præsepe lustrabo. VER. Addiscat, addiscat non esse in disputationibus sputandum *f* venenum. AS. Quum venenum a te sæpius (dum Macrocosmistā, & Asitiasten ageres) in se sputatum in te respuerit, & legem talionis exequēs vtcumque, tua tibi reddiderit, inculpatus est Vlysses. SIB. Immo vero doctus ab Ecclesiastico, non fuit pusilanimis in sapientia sua, nec seduci passus est alios in stultitiam à te promulgatā; didicit enim hoc a sacra pagina, in qua legit, *g Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* VER. Amet sapientiam, odio habeat *h* vituperia. AS. Igitur oderit commentarium tuum hunc, in quo plurima sunt sordidissima vituperia. Memineris te Macrocosmistam, Asitiasten, qui vtrobiq;, prius a nemine lacessitus, at vltro prouocans Antagonistam, qui de te nihil vnquam tractauerat, aut cogitauerat, Vlyssem coegisti tibi salse respondere, ac tua venena tibi reddere, ac in te retorquere ** Hyg. l. 2. Stoesl. in Sph. Prou. f Vmb. 17. g Eccl. 4. h Vmbr. 18.*

quere, non tamen scurriliter, vti tu facis, ast erudite. VER. Sin hoc non erit satis, semper Africa aliquid noui in illum feret. AS. Recte tu te comparas Africæ semper aliquid noui ferenti; nam ea regio, dum noua profert, nonnisi mala, venena, & monstra profert: audi Parœmiographum, *Semper adfert Libya mali quippiam, quod inde Romam monstra deportarentur. Hinc & in mores ingeniumque gentis detorqueri potest; siquidem vt est regio venenorum ferax, ita gentis pestilens ingenium.* & mox. *Semper Africa noui aliquid apportat.* Huic simillimum est illud Plinianum, quod in Historia mundi refert, *Libyam semper aliquid noui afferre: quod quidem ideo dicebatur, quod in siticulosa regione ad vnum aliquem riuum plurimæ ferarum species bibendi gratia conuenire cogantur, inibique varia mistura violentæ Veneris, varias monstrorum formas, subindeque nouas nasci. Porro Plinius sumpsit ab Aristotele.* Sic tu in Vlyssem nil nisi monstra lœdoriarum, absurdorumque dogmatum, & mendaciorum affers, in atentis animi tui solo genita ex nefario coitu odij & inuidiæ, furoris & inscitiæ. VER. Neque vnquam pijssimo huic officio deerit Lusitanus. AS. Pijssimum officium vocas? certe summam pietatem tuam admirantur omnes, quicumque legunt in hoc tuo commentario quæstiones, quibus antagonistam petis: parem scilicet eruditioni, doctrinæque tuæ, qua tenebricosa Hippocratis dogmata illustras in commentario: nil habeo quod tibi respondeam de hac tua pietate in præsentia; standum mihi protsus est iudicio lectorum: versabor circa reliqua. VER. Quod epigrammate aliquando lusit ipse Lusitanus. AS. Quæ in epigrammatibus, & in eorum rubricis, & passim in opere toto spurca verba masticas, digna sunt oris tui fercula; non ego fimum hunc tuum attingam, morales tenebras: at obiter notabo Thrasonicæ iactantiæ vmbram, qua tu tibi diceris *celeberrimus autor*: & vmbras Priscianum obtenebrantes in verbis, *adolescens, inscitia*, quam secunda impressione folij nil ad propositum facientem particulæ *stultitia* locum dare voluisti; *Lycamben*: & alijs metri canones vitiantibus, tuis vero tot epigrammatibus, quibus Vlyssem, & alios viros doctos & probos eius amicos scurriliter petis, hoc vnico disticho respondet vir eruditus,

> *Obtrectas, latras, iactas mala scommata, Castre:*
> *Sed laus Liceto est displicuisse malis.*

Verum iam accedamus ad tuum Commentarium, quem ad Hippocratis libellum de Alimento attexuisti; putasne genuinum Hippocratis esse libellum? consuluistine de proposito Galenum? VER. Quæ tamen fuerit Galeni sententia circa librum

[Margin notes: Vmbr. 19; h 2. de gen. an. c. 5.; l Vmb. 20.; m Vmb. 21; n Vmb. 22.; o Vmb. 23.; p Vmb. 24.; q pag. 2.]

de

de Alimento, non expresse constat. Vnde nescio quo iure Cornarius, & ante eum Caluus initio huius libelli hanc præfigit scriptionem, *Hunc librum Galenus Hippocratis esse negat; sed tamen non alicuius plebei, aut vulgaris hominis esse dicit, & fortassis ipsius Thessali; quidam Herophilum autorem putant*. Fateor me multum tempus in perquirendis huiusmodi verbis apud Galenum consumpsisse, nec mihi adhuc ea r reperiri contigit. Imo vero, cum cæteros libros, de quorum fide dubitatur, ipse Galenus citat, ambigue id facit, inquiens, siue Hippocrates, siue Polybius, siue quicumque alius fuit; hunc tamen s indubitanter nominat Hippocraticum. As. Miram demiror ego tuam constantiam, & locutionem in paucis hisce verbis; constantiam, dum ais, *quæ tamen fuerit Galeni sententia circa librum de Alimento, non expresse constat*; & mox contrarium ponis, asserens, *Hunc tamen librum de alimento Galenus indubitanter nominat Hippocraticum*. Locutionem, dum scribis, *Nec mihi adhuc ea reperiri contigit*: quum Priscianus diceret, *reperire*. Reg. Heus Aselle, quid tuam falcem immittis in meam messem? non ne statutum est, te solas vmbras Atho discutere, quæ mores obtenebrant; illas autem, quæ disciplinarum dogmata tangunt, ad me pertinere? As. Ignosce, Regule, non animaduertens, tui iuris hoc esse, id præstiti; posthac abstinebo a dogmatibus disciplinarum, quæ mores obfuscantes vmbras adiunctas non habent; nam huiusmodi reor ad me pertinere. Reg. Hoc tibi concedo: sed interim memineris non turbare meam possessionem circa doctrinas, quibus morum labes coniuncta non est. As. Ita fiet. sequere Veruex. Ver. Ego t diffuse nimis scribens nauseam sim pariturus. As. Non ob prolixitatem, sed ob sordida conuicia, scurriles lædorias, plebeias cauillationes, & infames imposturas, indignas homine sene, philosopho, & ingenuo cunctis probis & doctis viris nauseam moues, o veruex. Ver. Et quicumque controuersias odio habet &c. As. Quid alij dixerint, quum tu ipse controuersias, quas in Vlyssem scribis, odio dignas* fateris veritate coactus? Ver. At vero quicumque æstimationi meæ indulgens criminationes, quibus in me Philosophastor quidam vsus est, non impune esse cupit, responsiones, potius castigationes digito demonstratas reperiet: digito inquam, non salutari, sed * medio, qualem porrigere debeo ijs, quæ in me coniecit. As. Hinc aperte nosco tuam educationem: actum prorsus est de tua existimatione, si vis eam tueri scriptis digito non salutari, sed infami: ceterum non oportebat hæc te præfari; nam quilibet famosas tuas quæstiones legens, illico

r Vmb. 25.
s Vmb. 26.
t pag. 2.
* Vmb. 27.
* Vmb. 28.

perspiciet eas fuisse scriptas infami digito. Mirari plurimum scias omnes legentes hunc tuum Commentarium in Hippocratis Coi libellum de alimento, quomodo tu modestissimi senis alimentum purissimum ac plane nectareum Musis, hoc est Mentibus hominum studiosorum propinare sis ausus in immūdissimo vase tui famosi libelli fœdissimis conuiciorum scurrilium sordibus conspurcato, & amarissimis mendacium imposturarum succis referto; spurcoque infamis digiti contactu coinquinato: quomodo vis ingenuos homines de tam fœtido cratere nectar Hippocraticum, tot felleis fœtidisque conuicijs permistum ebibere? scias nauseabundos omnes hoc tuo spurco Cissybio proiecto ab eius adspectu protinus aufugere. VER. Gracilis, an ventricosus fuerit Oedipus ignoro: scio tamen Mineruam, quæ ex Iouis capite est orta, in cerebro vniuscuiusque sedem habere, non in ventre. Ideo spero mihi ventrem non nociturum ad hanc expositionem, quam paro. AS. Mineruam non habere sedem in cerebro ventricosi, corporeque sumine pleno, & athletico satis aperte contestantur u Plato, x Galenus, y Philo, z D. Hieronymus, & instar omnium a Aristoteles: hos argue, his tu responde; quibus nunquam Iuppiter capite Mineruam edidisset, si b ventricosus, & colossea carnium mole fuisset; quia multi turbidique vapores ab imo ventre repentes ad caput intelligentiam perturbant, & Mineruæ conceptum & ortum impediunt: sed hac in re propositis Autoribus consentit experientia. VER. Iste autem, qui mihi obesitatem, tanquam c crimen obijcit. AS. Minime vero, sed tamquam impedimentum naturale ad sapientiam, & subtilitatem comparandam. VER. Dicat nobis quo in d loco Nemesim reperit, quando ad eam prosuis Nemeseticis conscribendis se contulit; erat tempus (vt ipsemet fatetur) Bacchanalium, forsan cum Baccho commorabatur: ex Nemesi, & Baccho quid potuit nasci? e turdus, qui sibi (honeste loquor) struxit malum. AS. Belle: primo locum postulas, & respondes tempus, vt ille, qui falcem postulanti ligonem offerebat. Deinde quanam historia, & eruditione nosti, ex Baccho, & Nemesi turdum enatum? ex Baccho & Nemesi doctrinam & sapientiam enasci, quæ petulantiam & inscitiam arrogantium perdat, ediscere poteras ab eruditissimo De la Cerda, si Lusitanus Castellanum Doctorem non dedignareris; ait enim apud f Virgilium, *Doctorum vero pectora oportet esse madida, & plena doctrinis præstantissimis. Inde fortasse Bacchus doctor fingitur a g Horatio.*

Bacchum in remotis carmina rupibus

u 3. de Rep.
x ad Thra. c. 36. 3.
y de Gigātib.
z in ep.
a 4. de part. cap. 10.
b Vmb. 29.
c Vmb. 30.
d Vmb. 31.
e Vmb. 32.
f ecul. 6.
g l. 2. ode 19

Vidi docentem (credite posteri)
Nymphasque discentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Deinceps honestatem, quam in epigrammatis primi sordida rubrica perdideras, quomodo nunc reperisti, & induisti? quæso retineas eam in opere reliqua. VER. *Neque semper nutriuntur* (de plantis * loqueris) *vt plantæ multæ extra humum, & quæ in humo hieme folijs carent, atque alia quamplura, de quibus alibi fusius agemus in proprio tractatu.* Videris ex hoc loco in alium transmittere lectorem; sed mihi hæc sunt satis: plus solicitus esse nolo. &c. *h* Transis ad plantas, quæ licet radicibus humo affixæ sunt, tamen hieme folijs carent: Has etiam, putas, non nutricari; cur? nempe quia folijs carent: sic homines alopecia laborantes, diceres, non nutriri. Libet paululum te irridere, hominem, quem tametsi de facie non nouerim, ridiculum mihi describunt multi, & quis melius, quam Camillus Gloriosus? quin & apud Pisanos tuarum hodie iocationum manet recordatio. AS. Vlyssis memoriam apud Pisanos manere cum laude compertissimum ex eo est, quod vix a Serenissimo Principe veniam habere potuit inde recedendi. & Patauium accedendi. Descriptionem Gloriosi, qui tibi simillimus est, nihili facit Vlysses; sed illi opponit descriptionem sui habitam a viris æuo nostro Clarissimis, Obicio, Mundinio, Moreau, Sennerto, Chiocco, & alijs id genus. SIF. Irrisionē tuā contemnit, edoctus a *i* Salomone quod *quasi per risum stultus operatur scelus*. quodque *k* *Quærit derisor sapientiam, & non inuenit*. Quumque sapiens ille Asello præcipiat contra te insurgere, polliceturque illi tuum hunc risum dolore permistum iri, dum ait, *Vade contra virum stultum, & qui nescit labia prudentiæ: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupabit:* AS. ridiculam tuam obiectionē de nutricatu hominis alopecia laborantis ostendere Iubet, tum quia morbosus est ille pilorum defectus; quum sine morbo plantæ plurimæ folijs careant hieme: tum quia laborās alopecia non omnino pilis caret, sed pluribus in partibus capitis comatus est, licet in alijs areas in cute gerat sine pilis; vnde pili remanentes nutritionem ostendunt; at in plantis in argumentum adductis nullæ sunt omnino frondes: tum quia laborantes alopecia multis alijs excrementis scatent, quæ nutricationem supponunt; at Vlysses ex eo plantas hieme non ali collegit, quod non solis frondibus carerent, sed omnibus alijs itidem excrementis, quæ necessario separantur ab alimento in viuentibus, quæcumque nutriuntur: tum demum quia præter

* 2. de vita cap. 17. idem repe tis cap. 17
h pag. 25.
i Prou. 10
k ibid.
* Vmb. 33.

hanc rationem ductam a carentia frondium, & aliorum excre-
l 2. de his mentorum Vlysses multas alias l affert plane demonstrantes,
qui diu si hieme stirpes terræ infixas non ali; nam in opere De Vita, quod
al.ri.c 77 tu proponis, m remittit lectorem ad proprium tractatum de his
& l.3.c 8 quidiu viuunt sine alimento, vbi fusius agitur de proposito:
m l.2.c.17 Tibi vero satis sunt dicta obiter in libris de vita, nec vis attingere quæ alibi dicuntur in proprio tractatu, quia scribis ad cauillandum, non ad veritatem illustrandam. Obiter obseruare Iubet pulcherrimam illam tuã adnotationem, siue notationem marginalem, qua scribis Vlyssem hoc dicere lib.2.cap.17. idem repetere cap.15. quasi prima vice dicta repetita dici queant, dũ
n pag. 46. nihil de ijs adhuc dictum fuerat. VER. n Hanc tu doctrinam
o de Ferij. alibi o parum sobrie exhibes; siquidem eam Aristotelem Galeni testimonio tetigisse ais: Aristoteles ne Galeni, qui post eum
p Vmbr.34 mille annis vixit, p testimonio est vsus? Bacchanaliæ erant, dum hæc scriberes: risum lectoribus voluisti concitare. As. Præclare
q 1. simp. latinam linguam, latinos scriptores intelligis; quum enim Vlys-
c. 9. ses asseruerit, *quam doctrinam Galenus q attulit*; *&, Galeni quoque*
r 2. de gen. *testimonio, tetigisse videtur r Aristoteles &c.* (quæ communis, &
an. c. 3. familiaris est loquendi forma significans, Galenum testari ea de re ab Aristotele tractatum fuisse) tu sobrius intelligis pro tua doctrina & eruditione Vlyssem dixisse, Aristotelem a Galeno accepisse, quum huic ille mille annis præcesserit: o Vlyssem puerum in historia doctorum virorum, te doctissimum & præstantissimum linguæ latinæ cultorem! Ceterum hic omnes dicunt, te talia sobrium scribentem lectores in cachinnum impellere; Vlyssem autem a Baccho didicisse latine loqui sine de-
s pag. 58. trimento chronologiæ. VER. s Hanc exclamationem diluis en-
t pag. 131. comio ad te scripto, quod t aliquando me tibi explicaturum pol
u vmbr.35 liceor, vt scias Puteanum sub u adulatoris persona irrisorem ab-
x p. 131. scondisse. x Rescribe Puteano, vt tuas illas immodicas laudes supprimat: quid si te Regiam, Cæsareamue maiestatem nunc a pallet, nunc hoc etiam tibi foret gratum? at notum tibi sit, non tibi magis illa encomia quadrare, quam puero calapodium Gigantis. As. Quod omnes amicos Vlyssis immerentes probris afficias non alia de caussa, quam quod eius amici sint, vna est vmbra teterrima montis Athonis: quid de te male metuit inclytus Puteanus, vt eum notares adulatorem? an vero sub tali persona cælauerit irrisorem, ipse scit solus; id tibi non potuit indicare nisi affectus, quo in Vlyssem scribis, quem quum dudum Gigantem agnoueris & prædicaueris, illi nosse debueras optime quadrare mysticum illud Calopodion; non certe tuum ca-

lapodium.

lapodium, quod gemino solœcismo deforme dedecet eum, qui prima nouerit grammaticæ rudimenta. VER. Tu [y] solus ex Recho patria tua has attulisti Ferias: sed in descriptione totius orbis [z] Recho non [a] inuenitur, quare sponde pro Recho, & rationes eius, scitu ne, an risu dignæ sint, nobis exhibe. Et [b] scito Rechum non procreare [c] subtilia ingenia. As. Vlysses meus ortus est anno Domini MDLXXVII. mens. Octob. die 3. hora 2. noctis. sub pol. gr. 44. quare habet directionem decimæ domus, siue medij Cæli ad quadratum Saturni, qui in radice occupat octauam domum; quare directio minatur illi accusationes hoc tempore personarum saturninarum, circulatorum, & huiusmodi hominum abiectorum, qui de nati fama, existimationeque detrahere conabuntur: ortus autem est Rapalli, qui locus natalis quum fuerit Ioannis de Vico Chirurgorum Principis, ac Medici præstantissimi a cubiculo Iulij secundi Summi Pontificis, procreat ingenia subtilia. Vxorem duxit ibi pater Vlyssis, & Medicinā fecit; qui paucis annis exinde cōductus fuit ad eamdem facultatem excolendam in patria Recho; ibi Vlysses, in patria nempe paterna fuit educatus; quare duplici patria donatus est, natali, & paterna: quemadmodum autem Rapallum est percelebre sinu maritimo, naumachia Aragonensi, & natalibus Ioannis de Vico Chirurgorum Coryphæi; ita Rechum est nobile tum familia Axereta, quæ pridem dedit Blasium illum naualis Classis Genuensium Præfecti, qui nobili prælio vicit, & captiuum duxit Regem [d] Aragonensem, cum plurimis Hispaniæ, Nauarræ, ac Neapolitani regni principibus: tum antiquissima statione Dynastarum de Flisco; quæ gens inter Genuenses patricios primaria Pontifices habuit, Cardinales plures, & plurimos Abbates insignes. Quod tibi de more solœcizanti, Recho, (dicas Rechum non) inueniatur in descriptione Orbis, licet id Vlyssem splendorem non obscuret, quia nec Ithaca, nec Arpinum tibi reperietur in descriptione orbis terrarum; & nihilominus inde prouenerunt olim Vlysses priscus, & Cicero, duo prudentiæ ac eloquentiæ lumina splendidissima; qui, vt meus Vlysses, non a Patriæ claritate sibi lumen mutuati sunt, sed obscuræ patriæ [e] lucem dare potuerunt; quod inter ardua numeratur: attamen hæc tua calumnia prodit tuā maximam peritiam in Geographia; nam Rechi nomen & situs, pariterque Rapalli, describitur tum a Mercatore in suo Atlante maiore in descriptione Pedemontij, Montisferrati, & Oræ Genuensis: tum ab Ortelio in Theatro orbis terrarum, tam in Italię descriptione, quam in descriptione Pedemontij.

[y] *pag.* 635.
[z] *Vmb.* 38.
[a] *Vmb.* 37.
[b] *pag.* 161.
[c] *Vmb.* 38.
[d] *Interiam hist. lib.* 6. *M. Merel. hist. lib.* 1.
[e] *Pli. praf.*

atque

atque Lyguriæ: tum a Io. Antonio Magino in magnis tabulis, nimirum in descriptione oræ Lyguſticæ orientalis, & in descriptione Pedemontij ad mare Lyguſticum; vbi legendum, non *Mecco*, sed *Recco*: tum ab Autore Appendicis ad Theatrum Ortelij, & ad Atlantem Mercatoris, in tabulis Territorij Genuensis: tum a Philippo Cluuerio, qui quum vniuersam Italiam peragraſſet vna cum inclyto viro Luca Holſtenio, diligentiſſimeque ſitum cuiuſque regionis luſtraſſet, ac menſuraſſet, nobile volumen edidit inſcriptum de *Antiqua Italia*; in quo ta-
f lib. 1. c. 1. lia ſcribit, f ad verbum *A Monilibus Genuam ſi proficiſcare, inuenies poſt XXI. millia Vicum vulgari nomine Recco; eum ex nominis ſimul adfinitate, & ex interuallo deprehendi eſſe eumdem locum, qui in tabula dicitur Ricina*: tum a Marco Velſero in tabula Antonini a ſe edita: tum a Iodoco Hondio in deſcriptione territorij Genuenſis: ceterum te non vidiſſe hos claſſicos Geographos, nulli mirum eſſe debet; at vnicuique mirum ſatis eſt, te non legiſſe mentionem clariſſimam, & deſcriptionem Rechi non ſolum apud Cornelium de Iudæis in ſuo ſpeculo orbis terrarum in deſcriptione Italiæ Iacobi Caſtaldi; ſed etiam apud Gerardum de Iudæis in noua totius Europæ tabula magna. Sed & Rechum eo quoque nomine celebrari debet, quod ſub iuriſdictione propria Camulium tenet, Vicum non exiguum, & naturali quodam veluti portu conſpicuum: cur autem hæc tu non videris, quæ paſſim clara leguntur apud autores incertum an ab inſcitiæ, an ab inuidiæ velo tibi mentis oculos obtenebrante proueniat; non negarem te duplici hoc velo velatum non potuiſſe manifeſtima cernere. SIB. Chriſtus Dominus, ortus Bethleem, educatus Nazareth in patria materna, ſi dudum a Iudæis antiquioribus blaſphemijs petitus eſt, mendaciſſime calumniantibus A Nazareth g nihil boni poſſe pro-
g Ioan. 1. uenire: mirum non eſt ſi Luſitanus iſte non degenerans ab eis conſimili calumnia petat myſticum Vlyſſem Rapalli natum, & Rechi educatum, dicens Rechum non procreare ſubtilia ingenia: ſed hæc & ſimilia eius dicta norunt omnes eſſe dira liuidi furentis mendacia. AS. De eo vero, quod ais, Rechum non procreare ſubtilia ingenia, cuperem ex te probationem aliquam habere, vel teſtimonium alicuius viri docti, claſſicique ſcriptoris, cuiuſmodi eſſet Gulielmi Gratatoli, qui in opere ſuo Phyſiognomiæ talia ſcribit, c. 19. *In Luſitania, quæ Portugallia dicitur, homines melancholicos ſanguineos magna ex parte naſci compertum eſt: eorum plurimi ſatis amplis viribus abundant, quamuis ingenij perſpicacitate non præſtent*. Verum

qui patriam Vlyssis male petit, Veruex, peius patrem ipsius accipit audi loquentem. VER. *h* Itaque hæc est tua prima ratio. h *pag.* 50. *Corpus non maiorem perfectionem sortitur a nutritione, quam anima, imo longe minorem; quando anima est principium agens, idque præcipuum* (principium agendi diceres potius, nam principium, vt principium non *i* agit) *cum ergo anima diu carere possit huiusmodi perfectione, vt nuper ostendimus, multo magis idipsum corpori contingere potest*. i *Vmb.* 39. In hac tua argumentatione continetur elenchus valde *k* deceptorius, nempe a coniunctis ad separata; ac si k *Vmb.* 40. diceremus; pater tuus fuit bonus Barbitonsor, ergo fuit bonus: at id, quod conuenit toti, prout totum est, non conuenit partibus per seipsas seorsim consideratis: conuenit toti homini composito ex materia & forma risibilem esse, imo si mauis etiam ridere, non tamen materia per seipsam considerata, aut forma risibilis dicitur, nec ridere. Si ergo quia *l* viuens perficitur nutritionis perpetuitate, anima seorsim eadem perpetuitate perficitur, etiam quia viuens nutritione alitur, dicetur ali anima. l *Vmb.* 41. Addis etiam *ridentibus ijs, qui græce callent*: sed cur rident? rationem sic reddis; *etenim quum duo sint responsionum genera; nam alia responsa sunt rerum dubiarum, de quibus præcesserunt interrogationes, explicatiuæ, & aliæ sunt responsiones, quibus dissoluuntur argumenta communientia doctrinam euertendam*. * Antequã * *pag.* 195. vlterius pergamus, dic mihi statuis ne in latino sermone differentiam inter responsa, & responsiones? videris sane ita *m* facere; m *Vmb.* 42. nam ad præcedentes interrogationes responsa vocas, ad argumenta vero, quæ tu insolito vocabulo, *n* communientia appellas, n *Vmb.* 43. responsiones esse dicis. Hoc ne tibi aliquis Valla, aliquis Priscianus, & huius farinæ quispiam dictauit? minime: sed forsan in *o* Recho hanc vocabulorum distinctionem, inter Barbitonsoris, o *Vmb.* 44. hoc est, *p* Genitoris tui pectines & forfices reperisti. &c. p *Vmb.* 45. AS. Patienter audiui tuis in hisce verbis, immo vero vidi septem Atho densissimas vmbras, quæ moralem philosophiam, & alias disciplinas obnubilare conantur: sed eas facile discutiam: aggrediar vltimã de tonstrina Vlysseo patri obiecta. SIB. Licet autem multorum claritudini nihil obfuerit genitorum obscuritas; quam ipsi collustrarunt: attamen semper existimauit Vlysseus Satyrus Genitorem suum fuisse Doctorem Philosophum Medicum; & si falsus est in opinione, fefellerunt eum Doctores Collegij Bononiensis, qui tale diploma doctorale patri dederunt. *In Christi nomine amen. Gloriosa studiorum mater Bononia, quæ inter alias Italiæ ciuitates celeberrima, per sacratissimum Imperatorem Theodosium, Sancti Petronij eiusdem ciuitatis Episcopi*

precibus

precibus generali omnium scientiarum studio fuit decorata, atque singularibus priuilegijs sublimata, ad hoc interueniente consensu, & auctoritate Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Celestini Papæ Primi, sub anno a Natiuitate D. N. Iesu Christi Quadringentesimo vigesimo tertio: at deinde a Christi Natali Millesimo quingentesimo trigesimo Caroli Quinti Cæsaris Augusti Imperatoris auctoritate, nutu, ac propensissima tum in ipsam Vrbem, in qua Imperij diadema a Clemente vij. Pont. Max. acceperat voluntate; tum admirabili beneuolentiæ testificatione in Doctores Pontificij, Cæsareique Iuris, nec non Philosophiæ, Medicinæ, ac omnium liberalium artium, & facultatum, omnibus pristinis ornamentis approbatis, & confirmatis, maioribus ac pene quouis voto amplioribus muneribus, ac priuilegijs, quæ pro sua summa liberalitate eisdem sacris Collegijs, & Doctoribus ibi creandis, ac vniuerso Gymnasio Bononiensi detulit, & concessit, honestata. Cuius etiam in toto terrarum orbe veneranda, famosissima, & antiquissima Clarissimorum Dominorum Doctorum auctoritas sydereis splendoribus obtinet principatum, illos dumtaxat ad publicam & eminentem Cathedram, supremique Doctoratus, & Magisterij splendidissimam dignitatem sublimat, erigit, & extollit, quos longo exercitio, labore, studio, disciplina, ingenio, summisque vigilijs, omni denique conatu, & nixu, spretis, relictisque mundi delicijs, sese doctrinæ penitus dantes, ipsas sacras, & pene diuinas liberales artes, & sacram Philosophiam ac Medicinam scientias adeptos maximis laudibus, ac verissimis testimonijs accurate reperit probatissimos, & quos certamen generalis examinis digne ad id promouet, per concurrentem virtutum copiam, meritorumque excellentiam ita vt taliter promouendi apud vniuersos illustrissimos & Excellentiss. Saculi Principes, prudentissimosque Rerumpublicarum Moderatores, pro eorum assistentia ad instituendas bonis, honestisque moribus Ciuitates, nec non ad sananda infirmorum corpora, sanaque conseruanda, cæteris hominum generibus, etiam eiusdem ordinis singularibus priuilegijs, prærogatiuis, laudibus, honoribus, ac dignitatem culmine meritissime (id quod omnium rerum pretiosissima virtus expostulat) veniant præferendi. Cum itaque Nobilis, magnificus, ac generosus Vir, & scientia præclarus, ingenioque acutissimus, moribus modestus, atque omni doctrina præditus D. IOSEPH Licetus Genuensis, qui sua florenti ætate in Celeberrimo Bononiensi Studio, ac alibi assiduis exercitatus vigilijs, liberalibus Artibus, & sacra Philosophiæ ac Medicinæ sollicitam atque omnino curiosam operam iugiter impendit, & nauauit, ac actus scholasticos tam publice, quam priuatim gessit, conferendo, arguendo, respondendo, & disputando,

fuerit,

fuerit legitime præsentatus Magnifico ac Generoso Viro Liberalium artium & Sacræ Philosophiæ ac Medicinæ Doctori Excellentissimo Equiti aurato, & Comiti D. Vlyssi Aldrouando, Ciui ac Nobili Bononiensi Honorãdissimo Vicario in hac parte Perillustris ac Reuerendissimi D. D. Alphonsi Palaoti, Theologiæ, ac I. V. Doc. Celeberrimi Ecclesiæ Metropolit. Bononiens. Archidiac. nec non Almi ac Florentissimi Gymnasii Bononiens. Maioris Cancellarij meritissimi, per Magnificos ac Generosos Viros liberalium artium, & sacræ Philosophiæ ac Medicinæ Doctores Excellentissimos, Equites auratos, & Comites D. Albitium Dugliolum, D. Io. Ludouicum Cartarium, D. Lactantium Ferrum, D. Felicem Castellum, & D. Io. Paulum Mutium, omnes Ciues Bonon. Honoran. Examinandus, & approbandus in liberalibus Artibus, & sacra Philosophia, ac Medicina, & ob hoc se subiecerit arduo, rigoroso, ac tremendo examini priuato omnium Dominorum Doctorum Almi Collegij liberalium artium, & sacræ Philosophiæ ac Medicinæ Ciuitatis Bononiæ. In quo quidem examine dictus D. Ioseph Licetus, puncta sibi assignata miro ordine recitando, & argumentis acute, & subtiliter, non tam scholastico, quam Doctoreo quidem more respondendo, adeo docte ac bene se gessit, ac ita, & taliter se habuit, quod fuit ab omnibus dicti Almi Collegij liberalium Artium, & sacræ Philosophiæ, ac Medicinæ Doctoribus, in liberalibus artibus, & sacra Philosophia, ac Medicina Idoneus, atque sufficiens habitus, tentus, & reputatus; & obid ab eis in dictis liberalibus artibus, & sacra Philosophia vnanimiter, laudabiliter, concorditer, pari voto, ac nemine Penitus Penitusque discrepante iure & benemerito approbatus: moxque fuerit idem D. Ioseph per eosdem Dominos Promotores præfato D. Vlyssi Aldrouando Vicario etiam præsentatus propter Doctoratus Magisterijque gradum in prædictis facultatibus, ac scientijs assumendum. Idcirco D. Vlysses Aldrouandus Vicarius antedictus consideratis scientia, moribus, virtutibus, Nobilitate, dexteritate, ingenij præstantia, ac singulari honestate, quibus eundem D Ioseph Altissimus, & Omnipotens Illustrauit, prout in dictis suis examinibus mirifice demonstrauit, auctoritate eiusdem Vicariatus Officij, eidem in hac parte a præfato Perillustri ac Reuerendissimi D. Archidiacono attributa; nec non consilio, & assensu omnium Dominorum Doctorum præfatorum Collegiatorum ibidem existentium, & præuio processu, & debita informatione super religione, & fide Catholica de dicto D. Ioseph rite, & legitime facta coram D. Priore, factaque per eundem palam solemni professione, & voto de fide Catholica verbis formalibus, & præcisis contentis in Bulla, ac litteris Apostolicis a fel. me. Pio Papa iiij. expeditis

sub Dat. Romæ Idib. Nouemb. M. D. LXIIII. præmissa declaratione, & pronuntia facta de eodem in Christianum fidelem, & Catholicum ac obseruatis omnibus alijs, de quibus in dicta Bulla, prout latius constat Instrumentum publicum Rogatum per D. Achillem de Canonicis Not. ad prædicta specialiter electum, & deputatum, præstitoque eidem Iuramento ab eodem recepto D. Priori Collegij Medicinæ rogato per præfatum Not. cum præsentia duorum testium, de obseruandis capitulis contentis in constitutione per Dominos Medicos obseruanda fel. record. Pij Papæ Quinti, præsertim primo, secundo, quarto, quinto, & sexto capitulis, vt latius apparet in dicta Constitutione promulgata in Alma Vrbe sub die XI. Mens. Martij M.D.LXXVI. Eundem Nobilem, ac Magnificum Virum, Excellentissimum D. Ioseph Licetum Genuensem, sibi præsentatum dixit, pronunciauit Doctorem in liberalibus Artibus, & sacra Philosophia, ac Medicina, constituit, fecit, atque creauit, Dans, tradensque ipsi tamquam habili, sufficienti, & idoneo ad habendum, tractandum, & exercendum Officium, honorem, & dignitatem Doctoratus & Magisterij in liberalibus Artibus, & Sacra Philosophia, ac Medicina licentiam plenissimam, ac liberam, & omnimodam auctoritatem, facultatem, & potestatem de cætero, & in futurum in dictis facultatibus; & scientijs legendi glossandi, docendi, interpretandi, medendi, consulendi, & magistralem Cathedram ascendendi, cæterosque omnes, & singulos actus Doctoreos publicè, & priuatim exercendi Bononiæ, & vbique locorum, & terrarum, præsentium tenore. Et illico vt idem D. Magister Ioseph possessionem huiusmodi Doctoratus ab omnibus in posterum noscatur adeptus, præfatus D. Io. Paulus Mutius suo nomine, ac vice, & nominibus præfatorum D. Marci Albitij Duglioli, D. Io. Ludouici Cartarij, D. Lactantij Ferri, D. Felicis Castelli, & ipsius D. Io. Pauli Mutij Compromot. in liberalibus artibus, & sacra Philosophia, ac Medicina Insignia ipsius Doctoratus, & Magisterij, eidem Domino Magistro Ioseph, vt sua tersa, luculenta, & eleganti, ac erudita oratione petijt, hac forma tradidit, Nam primo libros liberalium Artium, & sacræ Philosophiæ, ac Medicinæ clausos, mox & apertos eidem in manibus præbuit; secundo Biretum, seu Diadema Doctorale capiti eiusdem D. Magistri Ioseph imposuit; ipsumque tertio anulo aureo, nomine prædictarum scientiarum desponsauit, sibi pacis osculum Magistrali cum benedictione feliciter exhibendo; vt idem D. Magister Ioseph Doctor nouellus sic laureatus, & insignitus felici coronetur in Patria, per eum qui Trinus & Vnus regnat DEVS per infinita seculorum secula Gloriosus. Mandans dictus D. Vlysses Aldrouandus Vicarius mihi Annibali Rusticello Notario

nostra-

infrascripto, ac præfatus D. M. Ioseph Doctor Excellentissimus, nouiter insignitus, & ornatus Rogans me Not. prædictum, & infrascriptum vt de prædictis omnibus publicum in Priuilegij forma conficiam instrumentum, muniendum authentico, solito, consueto, & ad hoc deputato præfati Perillustris, & Reuerendissimi D. Archidiaconi sigillo pendente. Datum, & actum Bononiæ in sacristia Veteri Ecclesiæ Metropolitanæ eiusdem Ciuitatis die Mercurij xx. Mensis Decembris, sub Anno a Natiuitate D. N. IESV Christi Millesimo Quingentesimo Octuagesimo nono, Indictione secunda, tempore Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Syxti Diuina Prouidentia Papæ Quinti Anno Quinto. Præsentibus ibidem D. Lucio Boerio, D. Io. Andrea Caua, D. Hieronymo Rocca, & D. Vincentio Asdente, omnibus Genuensibus. Et alijs quamplurimis viris, testibus ad prædicta omnia adhibitis, vocatis, atque Rogatis.

Ita est Ego Alphonsus Palaottus Sacræ Theologiæ & Iuris Vtriusque Doctor & Archidiaconus nec non Almi Gymnasij Bononiensis Maior Cancellarius. Et ego Annibal q. D. Nestoris Rusticelli Ciuis & Notarius publicus Bononiensis, præfatique Perillustris & Reuerendissimi D. Archidiaconi, & Maioris Cancellarij Scriba specialiter deputatus, quia præmissis interfui, & de illis rogatus extiti, Ideo hoc præsens publicum in Priuilegij forma aliena manu scriptum Instrumentum subscripsi ac subsignaui rogatus, & manuscripto. &c. SIB. Vere hic homo Iudæorum mores habet, qui pridem Christum Dominum blasphemantes calumniabantur quod esset filius fabri, * quum reuera filius fabri non esset. *Matt. 13*
As. Non audis o Veruex Aristotelem tibi præcipientem apud Plutarchum in consolatione ad Apollonium, nefas esse de mortuis quicquam falso aut contumeliose dicere? sed tu susque deque habens præcepta salutaria, nobis tuum ostende patrem & sufficit nobis: quin ostende te ipsum publico testimonio Philosophum & Medicum, qualem se tibi simul cum genitore demonstrare potest Vlysses vel alio diplomate, quo legitur.

In Christi nomine amen. Genua inclyta Italiæ Ciuitas, quæ in sacra Philosophia, Medicina, Theologia, nec non in Pontificio, Cæsareoque Iure, omnibusque liberalibus artibus & facultatibus Doctores creandi potestatem, & auctoritatem habuit Apostolico Priuilegio sub Dat. Romæ VI. Kalend. Decembr. anno salutis nostræ Millesimo Quadringentesimo septuagesimo primo, illos dumtaxat ad splendidissimam Doctoratus dignitatem extollit, quos certamen generalis repetitique ardui examinis digne ad eam promouet. Quum itaque nobilis magnificus ac generosus Vir, & scientia præclarus,

rus, ingenioque acutissimus, moribus modestus, atque omni doctrina praeditus D. Fortunius Licetus Genuensis quondam Magnifici & Excellentissimi Doctoris Philosophiae ac Medicinae D. Iosephi filius, Qui sua florenti aetate in celeberrimo Bononiensi studio assiduis exercitatus vigilijs liberalibus artibus, & sacrae Philosophiae ac Medicinae solicitam, atque omnino curiosam operam iugiter impendit, & nauauit, ac actus scholasticos tam publice, quam priuatim gessit, conferendo, arguendo, respondendo, ac diputando, fuerit legitime praesentatus Magnifico ac Generoso Viro D. Camillo Tertio Bergomensi I. V. D. ac inclyta Ciuitatis Genuae Praetori, & Vicecancellario Apostolico ad infrascripta a Serenissima Dominatione Serenissimae Reipublicae Genuensis specialiter deputato & M. Mag. ac Generosis Viris D. Iulio Guastauino Rectori, D. Raphaeli Merello, D. Camillo Boerio, D. Bartholomaeo Turriano, D. Horatio Turrio, D. Io. Augustino Strata, D Stephano Grosso, D. Lucio Boerio, D. Dominico Rauaschiero, D. Ricardo Benedicto Ricardio & D. Io. Baptista Mayno, excellentissimis liberalium artium, & sacrae Philosophiae ac Medicinae Doctoribus Venerandi Collegij Physicorum Genuae per Magnificos ac Generosos viros liberalium artium, & Sacrae Philosophiae ac Medicinae Doctores Excellentissimos D. Alexandrum Pagium, & D. Io. Gregorium Leuerattum Compromotores examinandus, & approbandus in liberalibus artibus, & sacra Philosophia, & Medicina: & ob hoc se subiecerit arduo, rigoroso, ac tremendo vtrique examini Dominorum Doctorum almi Collegij liberalium artium, & sacrae Philosophiae, ac Medicinae Ciuitatis Genuae, In quo quidem vtroque examine dictus D. Fortunius Licetus puncta sibi assignata miro ordine recitando, & argumentis acute & subtiliter, non tam scholastico, quam Doctoreo quidem more respondendo, adeo docte & bene se gessit, ac ita & taliter se habuit, quod fuit ab omnibus dicti Almi Collegij liberalium Artium, & sacrae Philosophiae ac Medicinae Doctoribus in liberalibus artibus & sacra Philosophia ac Medicina Idoneus, atque sufficiens, habitus, tentus, & reputatus; & ob id ab eis in dictis liberalibus artibus, & sacra Philosophia, ac Medicina vnanimiter, laudabiliter, concorditer, pari voto, ac nemine Penitus Penitusque discrepante, iure, & bene merito approbatus; moxque fuerit idem D. Fortunius per eosdem Dominos Promotores praefatis M. M. D. D. Camillo Tertio Praetori, ac Vicecancellario, Iulio Guastauino Rectori, caeterisque Almi Collegij liberalium Artium, & sacrae Philosophiae, ac Medicinae Doctoribus etiam praesentatus, propter Doctoratus Magisterijque gradum in praedictis facultatibus & scientijs assumendum. Idcirco D. Camillus Tertius praefatus Genuae Praetor M.

Magnificus

Magnificus & Apostolico priuilegio Vicecancellarius, consideratis scientia, moribus, virtutibus, nobilitate, dexteritate, ingenij præstantia, ac singulari honestate, quibus eundem D. *Fortunium Licetum Altissimus, & Omnipotens illustrauit, prout in dictis suis examinibus mirifice demonstrauit, authoritate eiusdem Vicecancellariatus officij, eidem in hac parte a Serenissimo Senatu Reipublicæ Genuensis attributa, nec non Consilio, & assensu omnium Dominorum Rectoris, &* Doctorum *prædicti Collegij ibidem existentium, & prævio processu, & debita informatione super religione, & fide Catholica de dicto* D. *Fortunio Liceto rite & legitime facta coram M. R. D. Vic. Arch. factaque per eundem solemni professione & voto de fide Catholica verbis formalibus, & præcisis, contentis in Bulla, ac litteris Apostolicis, a fel. rec. Pio Papa Quarto expeditis sub* Dat. *Romæ Idib. Nouemb. Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Quarto: Præstitoque eidem* D. *Fortunio Liceto iuramento ab eodem recepto per Mag.* D. *Prætorem Vicecancellarium Apostolicum cum corporali solito ad sancta* Dei *Euangelia tactis corporaliter scripturis de non excedendo taxam Clementinæ secundæ de Magistris, & de præstanda obedientia Serenissimæ* Dominationi *Genuensium: nec non per M. Mag.* D. *Rectorem ad Sancta* Dei *Euangelia vt supra, quod de cætero erit obediens prædicto* D. *Rectori & successoribus eius in præfato Venerando Collegio, & seruabit statuta dicti Venerandi Collegij, & ipsum Collegium collaudabit successiue. Eundem nobilem ac Magnificum Virum* D. *Fortunium Licetum Genuensem sibi præsentatum dixit pronunciauit* Doctorem *in liberalibus Artibus, & sacra Philosophia, ac Medicina, constituit, fecit, atque creauit* Dans *tradensque ipsi tamquam habili, sufficienti, & idoneo ad habendum, tractandum, & exercendum officium, honorem, & dignitatem* Doctoratus *& Magisterij in liberalibus Artibus, & sacra Philosophia & Medicina licentiam plenissimam, ac liberam & omnimodam auctoritatem, facultatem, ac potestatem de cetero & in futurum in dictis facultatibus, & scientijs legendi, glossandi, docendi, interpretandi, medendi, consulendi, & Magistralem Cathedram ascendendi, cæterósque omnes & singulos actus doctoreos publice, & priuatim exercendi Genuæ & vbique locorum, ac terrarum præsentium tenore. Et illico vt idem* D. *Fortunius Licetus possessionem huiusmodi* Doctoratus *ab omnibus in posterum noscatur adeptus, præfatus* D. *Alexāder Pagius suo nomine ac Vice, & nomine prædicti* D. *Io. Gregorij Leueratti Compromotoris in liberalibus Artibus, & sacra Philosophia ac Medicina insignia ipsius* Doctoratus, *&* Magisterij *eidem* D. Magistro *Fortunio, vt sua tersa, luculenta, & erudita Oratione petijt, hac forma tradidit: Nam primo libros liberalium*

ralium Artium, & sacra Philosophia, ac Medicina clausos mox & apertos eidem in manibus prebuit: secundo Biretum, seu Diadema Doctorale capiti eiusdem D. Magistri Fortunij imposuit: ipsumque tertio anulo aureo nomine prædictarum scientiarum desponsauit sibi pacis osculum magistralicum benedictione feliciter exhibendo, vt idem D. Magister Fortunius Doctor nouellus sic Laureatus & insignitus felici coronetur in Patria per eum qui Trinus & vnus regnat Deus per infinita seculorum secula. Mādantes dicti M. Mag. D.D Camillus Tertius Prætor inclytæ Ciuitatis Genuæ, ac Vicecancellarius Apostolicus, nec non Iulius Guastauinus Rector, cæterique Doctores almi Collegij Physicorum Genuæ mihi Marco Antonio Mulphino Not. & prædicti venerandi Collegij Cancellario infrascripto, ac præfatus D. Magister Fortunius Licetus Doctor Excellentissimus nouiter insignitus, & laureatus rogans me Notarium prædictum & infrascriptum, vt de prædictis omnibus publicum in Priuilegij forma conficiam instrumentum, muniendum authentico, solito, consueto, & ad hoc deputato sigillo pendente. Datum & actum Genuæ in Ecclesia maiori anno a Natiuitate Domini Millesimo sexcentesimo, Indictione duodecima secundum Genuæ cursum die Iouis xxiij. mensis Martij in Vesperis, præsentibus ibidem R.P.D. Antonio Clapario Rectore Ecclesiæ Sancti Martini de Velua, & R.P.D. Christoforo Aicardo Custode dictæ Ecclesiæ maioris Genuæ, ac M. Mag. D. Hieronymo Goano Iu. Vtr. Doct. & alijs quamplurimis viris testibus ad præmissa omnia vocatis, atque rogatis.

Marcus Antonius Mulfinus quond. D. Augustini publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius Genuensis, & dicti almi Collegij Medicorū D.D. Physicorum Genuæ Cancellarius præmissis omnibus & singulis Interfui, rogatus scripsi, testatus sum, & publicaui, & in præscriptam publicam formam me alijs occupato negotijs extrahi feci, signo nomineque meis solitis et consuetis appositis In fidem et testimonium præmissorum.

Florestanus Pepe I.V. D. Protonot. Apostolicus in Archiepiscopatu Genuensi Vicarius generalis Vniuersis et singulis has nostras inspecturis fidem facimus, & attestamur suprascriptum magnificum M. Antonium Mulfinum, qui suprascriptum Priuilegij instrumentum recepit, manuque sua subscripsit, ac suo solito signo signauit, fuisse et esse publicum, authenticum, legalem, et fide dignum Venerandi Collegij D.D. Notariorum huius Ciuitatis notarium, dictique almi Collegij Magnificorum Dominorum Physicorum Genuæ Cācellarium, scripturisque publicis, et instrumentis ab eo confectis, et subscriptis continue in iudicio et extra plenam fidem adhibitam fuisse, & adhiberi Dat. in palatio Archiepiscopali sub sigillo vti solito anno a Na-

tiuitate

tiuitate. M.D.C. *die xxi Octobris. Ioannes Antonius Rocataliata Not. et Curię Archiepiscopalis Genuæ Cancellarius.* En hic Priuilegium doctoratus Vlyssis: tu Laureæ Philosophico-Medicæ, qua redimitus fueris, ostende, si potes; vt certo constet an iure te valeas inscribere Philosophum ac Medicum: audio maxima cum admiratione te nunquam potuisse doctoribus Florentini Collegij priuilegium tui doctoratus ostendere: quis autem nō admiretur? circulatores enim mimi (quorum orgijs initiatus olim fuisse diceris) compluria solent plebi ostentare priuilegia. Sed ad Vlyssea redeamus. His apparet Ioseph Licetum fuisse Patrem mei Vlyssis, & in almo Bononiensi Gymnasio *Doctorem* Philosophiæ, ac Medicinæ creatum ac laureatum: eumdē vero apud Lygures & in communitate Rechi publico stipendio Medicinam physicam exercuisse, clare testatur publicum Instrumentum quod sequitur, arguens te falsarium; dum illi tonstrinam obijcis.

In nomine Domini amen. D. *Antonius de plebe, quondam alterius* D. *Antonij, Baptista de Axereto quondam* D. *Ioannis, & Laurentius Licetus quondam* D. *Francisci, moderni Consiliarij Burgi, & Vniuersitatis Rechi, sponte &c. et omni meliori modo etc. ac ex omni potestate et bailia ipsis data & tributa a generali consilio et parlamento facto in domo Magnifici* D. *Pretoris, in præsentia, et cum Interuentu ac auctoritate præfati* Mag. D. *Pretoris sub die octaua Septembris proxime prateriti, In quo consilio et generali parlamento facto, et congregato sono Campanæ, et emisso proclamate vt moris est, Interuenerunt homines centum pro danda bailia ipsis Dominis Consiliarijs accordandi et salariandi sp.* D. *Ioseph Licetum physicum pro eo salario et tempore, quo ipsis* DD. *Consiliarijs videbitur et placuerit: et sumptis* Calculis *fuerunt reperti septuaginta nouem fauorabiles, et viginti vnus repugnantes, vt latius constare dicitur scriptura recepta per* D. *Io. Baptistam Axeretum dictę Vniuersitatis Cancellarium,* Cui *etc.*

Eundem D. *Ioseph physicum pręsentem, et acceptantem accordauerunt et accordant a dicta die octaua mensis Septembris proxime prateriti, qua cępit infirmos sine mercede curare, et in venturum vsq; ad et per totum annum de* M D *LXXXXIIII. proxime venturorum curandis infirmis, qui modo sunt, et pro toto dicto tempore erunt et infirmabuntur in pręsenti Burgo et Vniuersitate Rechi. Pro mercede & salario librarum ducentum viginti quinque Ianuæ in anno dandarum et soluendarum scilicet a dicta die octaua Septembris proxime pręteritis vsque ad festum Natiuitatis Domini proxime venturum per ipsos* DD. *Consiliarios pręfato sp.* D. *Ioseph danda et*

soluenda

soluenda ad omnem eiusdem sp. D. Ioseph voluntatem & simplicem requisitionem; Pro reliquis vero annis tribus 1592. 93. & 94. omni anno imponendarum erit huiusmodi salarium super auarijs communis per DD. Consiliarios Communis & Vniuersitatis dicti Burgi, qui pro tempore erunt, & per exactores dictarum sequellarum, in quibus imposita fuerint, soluendam in tribus aequalibus solutionibus singulo quadrimestre tertiam partem, ad morem auariarum ordinariarum, & sic nomine dictae Vniuersitatis, & ex bailia ipsis vt supra data, & tributa, promiserunt & promittunt omni exceptione & contradictione remota, Renunciantes, &c. Qui praefatus sp. D. Ioseph physicus praesens & praedicta acceptans promisit, & promittit dictis DD. Consiliarijs praesentibus stipulantibus &c. ac mihi notario infrascripto vti persona publica officio publico stipulanti & recipienti nomine & vice dictae Vniuersitatis & hominum illius, se sp. D. Ioseph toto tempore, de quo supra, scilicet a dicta die octaua mensis septembris proxime praeteriti, qua caepit dictos infirmos sine mercede curare, & vsq; ad & per totum dictum annũ de MDLXXXXIIII inclusiue omnes infirmos dictae Vniuersitatis curare bene diligenter & fideliter pro dicto salario annuo librarum ducentum viginti quinque Ianuae vt supra Imponendarum & soluendarum sine aliqua alia mercede vel solutione ab infirmis accipienda, & omnem suam adhibere curam & diligentiam, & dicto tempore infirmos dictae Vniuersitatis sine cura non derelinquere, neque e loco Rechi recedere tempore quo erunt infirmi in dicta Vniuersitate, & alia facere, quae solent & tenentur physici diligentes et fideles ab Vniuersitatibus salariati omni exceptione etc.

Declarato Quod quatenus interim durãte tempore dictorum trium annorum homines quarteriorum Villarum vellent prefatum sp. D. Ioseph salariare, et quod suos quoque curaret infirmos, tali casu ex nunc prout ex tunc intelligatur et sit prefatus sp. D. Ioseph salariatus ab ipsis Consiliarijs Vniuersitatis Rechi, et a dictis Consiliarijs Villarum pro eo salario, quo fuerunt caeteri Physici tempore praeterito salariati inter ipsas Vniuersitates Burgi, et Villarum, iuxta solitum repartiendum, et per ipsas Communitates respectiue pro dimidia soluendum Quia ita etc. Quae omnia etc. sub pena dupli etc. et cum restitutione etc. Ratis etc. et proinde etc. de Quib. omnib. etc. per me Laurentium Axeretum notarium

Actum Rechi in Claustro Sancti Francisci anno a Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo nonagesimo primo Indictione quarta secundum Ianuae morem, die Veneris quarta octobris in Vesperis, Praesentibus D. Ioãne de Axereto Bernardi, D. Bartholomeo de Axereto, D. Bernardo, et Marco Antonio Axereto, filio mei notarij

in-

infrascripti, Testibus ad premissa vocatis, et rogatis. Extractum est in omnibus prout supra, salua &c.

Laurentius Axeretus notarius.

Sic ergo publicis monumentis aperte constat, te mendacem impostorem esse, qui patrem Vlyssis mei barbitonsorem asseris, Philosophum Medicum non agnoscis. Iam vmbra tonstrinæ discussa, nunc ad alias doctrinarum dissoluendas accedo. Quod in primis damnas Vlyssem, quod dixerit *animam esse principium agens*, quum debuisset dicere *principium agendi*, nam *principium, vt principium non agit*, tuo decreto; id reponendum est inter alias tuas subtilitates; quas non intellexit pinguis Minerua Aristotelis; ipse namque sæpius *r* principia agere, & pati profitetur: quin & primum principium mouens, & motiuum appellat *s* sæpissime: speciatim autem animam *u* alentem esse dicit Aristoteles, adeoque agentem, quam *x* principium proxime dixerat: Aristotele doctore principium duplex est, præstantissime Philosophe, si loquamur de principio actiuo, cuiusmodi est anima vegetatiua collata ad nutricationem; vnum quidē est principium adæquatum, siue totale, vt aiunt scholæ, cuiusmodi est *y* Pater generans, siue homo generās, & primum *z* mouens seipsum: alterum autem est principium partiale, primarium; vt anima in viuente, *a* ac primum *b* mouens immobile in cęlo: vtrumque dicitur promiscue principium *c* agens, & principium agendi. Quod postea reprobas argumentum Vlyssis velut elenchum valde deceptorium a coniunctis ad separata, id summam tuæ logicæ peritiam ostendit: quum enim Vlysses a parte ad partem, tu putas eum argumentari a toto ad partem: assumitur in argumento corpus, non illud, quod formaliter est ex anima & corpore constitutum, vti tu credis; sed illud, quo animæ subiectum ab anima formaliter contradistinguitur, velut vna pars essentialis ab alia in eodem toto; & quum nutritio fit varia ratione perfectio tum totius viuentis, tum animæ, tum corporis animæ substrati, quod est pars materialis totius viuentis; bene colligitur corpus id carere posse perfectione nutricationis, quia & anima tali perfectione carere potest, quam a nutritione sibi conquirit, non quia nutriatur anima, sed quia nutrit: similiter enim corpus, quod est pars materialis totius animati, nutritionis est principium effectiuum, sed secundarium, ac instrumentale, vt edocet Aristoteles *d* asserens animam esse caussam primariam nutritionis effectricem; at ignem, adeoque corpus caloris particeps, vt mistum animæ subiectum, eidem nutritioni promouendæ seruire, non vt caussam simpliciter, verum vt concaussam quodammodo, quod est sub ratione

r 1. phys. s. 51. 55. 56. 68. 73. t 8. phys. t. 3. 45. & seq. u 2. de an. 49. x t. 36. 48. y 5. met. t. 5. z 8. phys. t. 33. & seqq. a 2. de an. t. 36. & seqq. b 8. phys. t. 84. c 12. met. t. 30. 35. 36. 2. de an. t. 34. 39. 48. 49. d 2. de an. t. 40. 41.

instrumenti: ceterum actionem esse perfectionem instrumenti, & agentis etiam præcipui; magisque functione sua perfici præcipuum agens, quam instrumentum, nemo negauerit, cui fibra cornea, vel saxea non sit. Corpus actu viuens, quod est totum essentiale, perficitur quidem nutricatione, quia eam subit ac sustinet, veluti subiectum formam accidentariam: sed de hoc toto corpore non agit Vlyses in argumento; verum de huius parte materiali, quæ nutricationis est principium productiuum instrumentale; cuius anima in eo insidens est principium principale: syllogismum autem ab ocio principalis agentis ad ociū instrumenti deseruiētis illi ad operandum, esse necessarium, & nō esse deceptorium elenchum a coniunctis ad separata; cuiuis apertum est. Addendum est, non semper elenchum esse syllogismum a coniunctis ad diuisa, sed solum in ijs, quæ coniuncta sunt accidentali nexu; nam in ijs, quæ coniuncta sunt nexu essentiali, bene syllogizatur a coniunctis ad separata; quum enim perfidia sit essentialis Iudæo, & infamia circulatori; propterea non erunt elenchi deceptorij, sed veri, ac boni syllogismi (vt norunt ac certo sciunt omnes Pisani, & Florentini, plurimique Romanorum) hi duo, Quidam Lusitanus est perfidus Iudæus, ergo perfidus: Quidam Lusitanus fuit circulator infamis, igitur infamis. Quod autem de re scientifica præterea obijcis, *Si ergo quia viuens perficitur nutritionis perpetuitate, anima seorsim eadem perpetuitate perficitur. etiam quia viuens nutritione alitur, dicetur ali anima*, Vlyssi nihil officit, tum quia non deduxit ille perfectionem perpetuæ functionis in anima a consimili perfectione in viuente; sed oppositum, & quid longe diuersum, nam ex carentia perfectionis perennis actionis in anima deduxit carentiam eiusdem perfectionis in corpore; audi verba ipsius a te relata, *Cum ergo anima diu carere possit huiusmodi perfectione, vt nuper ostendimus, multo magis id ipsum corpori contingere potest*: tum quia corporis nomine non significauit viuens totum formaliter ex anima & corpore tamquam ex forma & materia constitutum, sed partem materialem animæ e subiectam, adeoque corpus f instrumentale deseruiens animæ ad vitæ functiones edendas: tum quia ex eo quod viuens perficitur nutritionis perpetuitate, proindeque ponatur anima seorsum eadem perpetuitate perfici; non bene colligis, *etiam quia viuens nutritione alitur, dicetur ali anima*: siquidem eadem functione nutritionis perficitur simul & anima, & corpus illi subditum, & totum viuens ex vtrisque constitutum, sed varia ratione; quia viuens perficitur, vt subiectum recipiens in se nutritionem; anima perficitur

e 2. de an. t. 4. 7. 25.
f 2. de an. t. 6. 24. 26.

ficitur, vt agens primarium actione sua, corpus perficitur vt agens secundarium ac instrumentale: atque vt argumentum valet ab ocio vnius horum ad ocium alterius, & a perpetuitate negocij vnius horum ad perennitatem negocij alterius; ita nõ valet a specie perfectionis conquisitæ per operationem in vno istorum, ad eamdem speciem perfectionis per eamdem operationem in alio. Quod præterea subdis interrogans an differentiam statuat Vlysses in latino sermone inter responsa, & responsiones: asserensque illum tibi videri sic facere, hoc arguit aciei mentis tuæ lippitudinem; nam ipse posuit illa vt synonyma; quod ex eius verbis quisque colligit, qui plane cæcus non sit; quia dicit, *etenim quum sint duo responsionum genera; nam alia responsa sunt rerum dubiarum, de quibus præcesserunt interrogationes, explicatiua; & alia sunt responsiones, quibus dissoluuntur argumenta communientia doctrinam euertendam.* non ne vides in primo dogmate responsionis nomen dici commune vtrique generi? sed primo generi nomine responsi vsus est ad abundantiam, & ad elegantiam, ne tam crebro consertoque vsu eiusdem particulæ *responsionis* cacophoniam audientibus obtruderet: huiusmodique synonymorũ vsum a politissimis autoribus edidicit. Quod tu postea damnas vocabulum *communientia* tamquã insolitum, nulli mirum est; nam adeo grammatica polles, vt nescias a verbo *communio* deducere participium communiens: tibi, cui aduerbium *interroganter* * insolens non est, participium *communientia* insolitum non esse poterat: tibi, qui *honorosam* dicis, *communientia* dicentem non debuerat improbari; sed tu *honestam* dixisses, si vere, vel honeste loqui posses, speciatim de viro probo, nobili, & erudito: sed tuas tu partes agis. VER. g Tu dicis diuersas res esse, & me h cinædica mollitie appellas *mi homo*, ego autem tibi debito rigore respondeo, *mi non homo*, quod i nomen est generale comprehendens tam asinum, quam bouem, quam saxum. As. Vlysses, o Veruex, iterum repetit, conuersionem chyli in sanguinem per secundam coctionem, quæ fit in iecore; & conuersionem sanguinis in substantiam omnium solidarum partium per tertiam, seu post tertiam coctionem, esse res diuersas, mutationesque re distinctas; quarum vna est nutritio, qua de agimus, & altera dispositio ad nutritionem: tu vero nihil opponis in contrarium: sed quod ais τὸ *mi homo*, & *mi Veruex*, esse cinædicæ mollitiei nuncupationem, id falsum esse demonstrat Traianus Imperator, qui Vir grauis ad Plinium Secundum scribens virum grauem, eadem phrasi vtitur, l *mi Secunde charissime*, non raro: quod autem ais, non homo

*pag. 131.
g pag. 50.
h Vmbr 46
i Vmbr. 47.
k Vmb. 48.
l 10. ep. 63. 70 84. 86 90. 98. 100.

m 1. perih. cap. 2. nomen esse generale comprehẽdens tam asinum, quam bouem, quam saxum; id aperte refellit Aristoteles inquiens, *m Non homo vero, non est nomen ; at vero nec positum nomen est, quo illud oporteat appellare; neque enim oratio, neque negatio est: sed sit nomen infinitum, quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est*: quare particula *non homo* solum excludit hominem, at non comprehendit, nec significat determinate asinum, neque bouem, neque saxum. Ceterum vera nuncupatione non hominem appellas Vlyssem, quem tu Satyrum effecisti, ac supra conditionem hominum extulisti pridem inter semideos cum *n* Aristotele. Dum Asinum vocas, eum supra veruecis naturam collocas, vt antea tibi demonstraui. Nec a te renuit appellari bos; tum quia socium efficis Angelico Doctori D. Thomæ, qui bos mutus audiens ab obtrectatoribus in schola, Magnum Albertum summum virum communem præceptorem habuit vaticinantem, bouem illum aliquando maximo mugitu mundum literarium intonaturum: tum quod velut olim bouis simulachrum apud Lemnios colebatur e candido lapide, cuius latera montis Athonis vmbra fuscabat, ita tua maledicentia cãdorem Vlyssis firmum & solidum ab omnibus probis & doctis honore cultum frustra temereque nunc obtenebrare conaris: quapropter & lapis audire a te minime recusat. Sib. Asini quoque, bouis, & saxi nomen Vlyssi a Veruece datum, ignominiam in eum non infert, quod & Asinus nascenti Deo astitit, triumphantemque portauit; & bos eiusdem natalibus interfuit cum asello; simulque mysteria tum *o* Ezechielis prophetę in Rota diuino spiritu agitata, tum Euangelistæ Lucæ in Euangelio configurauit; quum vervueces nunquam ad ea decora peruenerint. & lapidem, quem tu reprobasti commentarium hunc ædificans, hic factus est in caput anguli in ædificio solidæ philosophiæ; sicut olim lapidem, quem reprobauerunt *p* ædificantes suam Synagogam Iudæi, hic factus est in caput anguli ædificij Ecclesiæ sanctæ Dei. Sed quia inter morum vitia deterrimum est impostura; sæpissime tu in hoc malum incidis; at præsertim dum opponis Vlyssi malam transscriptionem sacræ scripturæ in Ezechielis prophetia: refer obiectionem. Ver. *q* Tandem vt nunquam ineptiendi finem facias, quoniam de carne loquutus sum, tu de ossibus loqui vis, & vbicumque ossium factam mentionem inuenisti, illuc te tua contulit stultitia. Celebre extat *r* vaticinium Prophetæ Ezechielis, qui manu Domini eductus fuit in medium campi, qui erat plenus ossibus, iussusque fuit vaticinari ijs in hunc modum: *Ossa arida audite verbum Domi-*

Marginal notes: n 2. de an. t. 29. & Pl. in conf. ad Apoll. — o cap. 1. — p psal. 117. — q p. 118. 119. — r Ezech. c. 37. — r Symb. 49.

ni. Hæc dicit Dominus Deus *ossibus his. Ecce ego intromittam in vos spiritum, et viuetis,* [t] *et scietis quia ego Dominus: & prophetaui sicut præceperat mihi. Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, & vidi, et ecce super ea nerui & carnes ascenderunt, et extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant: & dixit ad me vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum: Hæc dicit* Dominus Deus, *A quatuor ventis veni spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reuiuiscent. Et prophetaui, sicut præceperat mihi, et ingressus est in ea spiritus, &* [u] *reuixerunt, steteruntque supra pedes suos exercitus grandis nimis valde.* Et *dixit ad me, fili hominis ossa hac vniuersa domus Israel est.* Sic Propheta. At heus tu vide quomodo sacra transferas verba: nam vbi scriptum est, *& reuixerunt,* tu transscribis, *& vixerunt:* diuersa res est: nam *reuixerunt* significat restaurationem populi Israelitici ex captiuitate Babylonica, de qua ibi, & in præcedente capite agitur: at *vixerunt*, vt tu transfers, significaret vitam nunc primum concessam, non vero restitutam. Præterea vltimæ verba, quæ transfers, te poterant docere sensum illius vaticinij non esse litteralem, sed allegoricum. At scio quid velis, nempe hoc vaticinium spectare ad resurrectionem: Sed quando posset vaticinium futuræ resurrectioni accommodari, putasne resurrectionem esse similem formationi? at scito res esse omnino contrarias; nam formatio incipit a carne, vt pote a substantia faciliotis concretionis, vt in prima origine ossa sint mollissima tanquam caro: resurrectio incipiet a contrario, nempe ab ossibus. Tu, qui putas ad significandum totum hominem non sufficere si fiat carnis mentio duntaxat, sed necessarium esse ossa simul commemorare, videtis in carnis resurrectione, quam articulus fidei promittit, non credere totum hominem resurrecturum. Tace, vilissime cerdo, noli sapere vltra crepidam. As. Ossa generari ante carnes, infra suo loco tibi ex Galeno satis ostendam: at quod in prima origine dicis ossa esse mollissima tanquã caro, id tuam obiectionem diluit; nam mollities ijs non tollit esse ossa; & æque facilem concretionem tribuit ossibus, ac carnibus. Sib. Philosophus, & Medicus præstantissimus, qualem tu te predicas, agens de materia proxima humani corporis, nõ recte omissis ossibus parte potiori eam in sola carne contineri statuit: at Apostolus, qui Symbolum ponens cum alijs ad summam fidei breuissimam componendam, solius carnis meminisse potuit vt partis vulgo euidentioris, quã ossa sint, quæ sub carne delitescunt. Sed quod attinet ad Ezechielem, an eius vaticinij

[t] Vmbr. 50
[u] Vmb. 51

sensus

sensus possit esse litteralis, nec ne, nil hoc turbat Vlyssem, quia quomodocunque se res habeat, illo eius opinio maxime firmatur; Interim tamen admoneo te * Theodoretum, contestatu * Prадiin Ezechielem, dicere, *Dominus iussit me vxorem fornicationis ducere, et filios fornicationis procreare*, &c. ad istud adiungit; *quemadmodum sine dubitatione imperatum fecerit*, &c. & statim, *Eorum audaciam mirari satis non queo, qui non verentur dicere verba hac esse rebus destituta; quin etiam hac dicere aggressi sentiunt multa sæpe eiusmoai* Deum *imperasse: Esaiam quidem soluere de lumbis tunicam sacceam, & pedibus non calceatis, reliquoque corpore nudo incedere: Ieremiam catenas circum collum imponere iussit: Ezechieli sinistro lateri trecentos quinquaginta dies, dextro quadraginta incumbere iussit, comedere panem humano stercore coopertum, vasa captiuitatis accipere, murum perfodere, imaginem fugientium depingere, et pra significare sic Sedecia fugam. Huiusmodi mille alia in sacrosancta scriptura inuenire licet, quorum scopum, et propositum si quis ignorauerit, prophetica virtute hac indigna ducet: qui autem Dei studium, & amorem in homines plene sciunt,* Dei *laudum occasiones arripiunt, & diuinos prophetas omni ex parte* Domino *obedire studentes admirantur*, &c. & subdit causam, propter quam huiusmodi præcepta prophetis imponantur, *vt scilicet homines, qui verbis non fuerint persuasi, rebus quibusdam adumbratis, visorumque admirabilitate, ad speculationem, & contemplationem futurorum pertrahantur*. Verum enim vero, sit hoc vaticinium, si placet, allegorice sumendum; Vlysses fideliter quidem transtulit verba Prophetæ dicentis, *Et ingressus est in ea spiritus, et vixerunt*; quoniam verbum illud *vixerunt*, legetur in plurimis Bibliorum exemplaribus, quorum vnum impressum fuit Venetijs anno 1495. per Paganinum de Paganinis: secundum Basileæ per Thomam Guarinum 1564. versione Pagnini, & Francisci Vatabli; qui toto in eo capite semper scribunt *vixerunt, viuetis, viuent*; nunquam vtuntur verbo reuiuere: tertium Venetijs apud Iunctas 1572. quartum itidem Venetijs cum Lirani glossa 1588. quintum Venetijs apud Euangelistam Deuchinum 1607. sextum Parisijs sumptibus Sebastiani & Gabrielis Cramoisy, Via Iacobæa sub Ciconijs 1632. Septimum exemplar est habens versionem septuaginta Interpretum, qui græce legunt, καὶ ἔζησαν, & vixerunt. octauum habens textum Chaldaicum legit, *et vixerunt*. quam lectionem recipit. D. Hieronymus in duplici textu: Hugo Cardinalis in Esaiam Basilææ Impress. 1498. Dionysius Chartusi. in Ezechiel. impress. Coloniæ 1598. Theodoretus in Ezechielem

* Osee 1.
* tom. 1. c. 4. f. 2.

lem edit. Colon. 1573. Sed tu secutus es lectionem, siue translationem cuiusdam Matmorrecti. edit. Venetijs 1506. Quod autem Vlyssem appellas Cerdonem, hoc nomine scias ab Infidelibus appellari Christianos, vt ex Iuuenale notat Baronius disertissimus, inquiens, *z Tunc tandem quum tam atrociter in Christianos persecutionis impetus fureret; meruit Domitianus vlciscente iam numine, gladio tolli. Quod egregie Iuuenalis versibus cecinit, licet more Gentilium, ignominiæ causa Christianos, perinde ac vilissimas personas, Cerdones appellat, sic a dicens.* z tom. 1. pag. 699. a Sat. 4. 3 fi.

Atque vtinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sæuitiæ, claras quibus abstulit Vrbi
Illustres animas impune, & vindice nullo:
Sed perijt post quam Cerdonibus esse timendus
Cœperat, hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Hæc ille, qui propter effusum Christianum sanguinem Domitianum fuisse necatum putauit; nam quum ait, tunc illum perijsse, quum Cerdonibus timendus esse cœperat, haud dubium alludit ad necem ipsi illatam a Stephano Flauiæ Domitillæ Christianæ feminæ, quum in insulam ab eo diximus relegatam, procuratore. Quare dum tu mysticum Vlyssem appellas vilissimum Cerdonem, simul eum confiteris Christianum, ac te a Christiana fide longe distantem.
As. Sed quomodo noueris vnquam tu Cerdones, viles an nobiles sint, qui Romam ex Iberia venisti dudum calceis non corio consutis, sed funiculo contextis? certe mirum non est, si

——— ——— *b sacro nec cedat honori* b Iu. Sat. 1.
Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

At heus tu, Vetulex, hoc a me scito, Cerdones si viles sunt, non esse tamen infames, vti sunt Circulatores pharmacopolæ, quorum artem ea notat infamia Lex Imperatoria, vt ipsorum vel iuratorum testimonio fidem nõ adhibendã esse sanciat. Verum

Et c fœda lingua probra circulatricis c Martial. l. 10. ep. 3

non curans Vlysses, autore me, tibi dicit, inter Cerdones olim fuisse Philosophum Pythagoreum sapientissimum, autorem carminum Orphicorum, vt ait Cicero; sed inter agyrtas circumforaneos non habetur, nisi d 1. de nat. Deor.

——— ——— *e fracta voce loquendi* e Iu. Sat. 2.
Libertas, & crine senex fanaticus albo
——— *rarum ac memorabile magni*
Gutturis exemplum ———
Hic nullus verbis pudor, aut reuerentia mensæ

Philosophicæ, nec Hippocraticæ. Sib. Deinde tua illa explicatio, qua probare frustra conaris non bene scribi *vixerunt*, sed

esse

esse scribendum *reuixerunt*, non tam arguit scripturam Vlyssis quam scripturam Spiritus Sancti a te citatam in primis verbis ita se habentem, vti tu fateris, *Ossa arida audite verbum Domini. Hec dicit* Dominus *Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, et viuetis:* tua enim glossa dicere debuisset, *et reuiuetis*. Immo vero maxime tibi succensent piæ litteræ Prophetæ, quod eas mutilasti, & ab eis aliud *viuetis* tibi infensum abstulisti; sustulisti namque de sacro textu numerum sextum hæc verba immediate sequentia continentem, *& dabo super vos neruos, et succrescere faciam super vos carnes, et super extendam in vobis cutem; & dabo vobis spiritum, & viuetis*. As. Ego vero deosculor tuam illam phrasim, qui eductus fuit in medium campi; quum *educo* significet recessionem a termino, tu verbum violentia trahis inuitum ad significandum accessionem ad terminum. Sib. Quin & hic valde peruertis verba sacra, quæ talia leguntur, *facta est super me manus Domini, et duxit me in spiritu Domini, et dimisit me in medio campi*; tu tibi licere putas peruertere verbum Ducere in Educere; & corrumpere sententiam, *Et dimisit me in medio campi*, in *Eductus fuit in medium campi*. Ver.

x pag. 185. x Nouum est istud tuum dogma (de duplici temperamento)
y Vmb. 52. quod si nouum appellauero, tu, qui aduersus y contumeliosos sententias ex Sanctis Patribus accumulas, omnino contumeliosus respondes, te, quod nouus interpres sis, non male audire, vt male audiunt noui Christiani. At ego non te nouum Interpretem appellaui iniuriatum ergo: tu forsan nouum Christianum dicens, putas me iniurijs afficere, sed debueras prius indagare aliquid de meis gentilitijs: reperisses iniuriam istam a te
z Vmb. 53. mihi illatam nihil ad me spectare, vt pote qui z honesto loco sum natus. Sed neque etiam (fateor) hæc in te contumelia reflecti potest: non enim Christianus nouus dici debes, siquidem
a Vmb. 54. vt priuatio a præsupponit habitum, sic nouus Christianus Chri-
b Vmb. 55. stianum b præsupponit, a quo tuus c atheismus, quem te pro-
c Vmb. 56. fiteri aliquando d ostendam, te omnino separat. Gaude igitur
d Vmb. 57. quod Christianus nouus dici nequis, sed mœrere etiam debes,
e Vmb. 58. quia nec Christianus. Quid ergo habes e euersor dogmatum? nempe oleum calchanti, & reliqua huiusmodi, duo habere temperamenta, habituale vnum, hoc est calidum & siccum, alterũ actuale, nempe humidum, illud ex vnione qualitatum habitualium resultare, istud ex vnione actualium. Sed habituales illas qualitates reducito mihi in actum, hoc quidem quoties li-
f Vmb. 59. buerit, fieri potest, alioquin inutiles erunt, & imaginariæ:
g Vmb. 60. erunt iam f actuales, & g contrariæ alijs actualibus, & sic duo

tem-

temperamenta actu contraria. As. Tot vmbras discussurus ascendam ab imis ad medias, relinquens supremas Sibyllæ. Habituales qualitates etiam ad actum redactæ nusquam contrariæ possunt esse qualitatibus actualibus; quod hæ sint accidentia, illæ vero substantiæ, vt non semel edocuit *h* Aristoteles, qui non semel item statuit, contraria esse debere in eodem genere. Habituales qualitates ideo dicuntur habituales, nō quia reipsa non sint actu in composito, vti tu putas; sed quia in eo sunt vt *i* habitus quidam in actu primo, sæpe non operantes in actu secundo; si volueris eas in actum secundum deducere, bibito selibram olei calchanti; & experieris id te plurimum excalfacere, ac exsiccare, licet actu frigidum, & humidum sensui sit; quæ qualitates actuales dicuntur, quoniam actu sensum ferire possunt per se; quum habituales illæ de genere substantiæ per se sensibiles non sint, nec actu, nec potestate, sed solum per accidens, nimirum per qualitates accidentarias per se sensibiles, quas procreant in subiecto, in quod agunt. Vlyssem appellas euersorem dogmatum? addere debueras falsorum, & monstrosorum, vti tua sunt; quod illi concedit in laudem apud omnes doctos. Tale tuum dogma est, quo dicis, habitum a priuatione præsupponi; nam & in cæco nato priuatio cæcitatis non præsupposuit habitum visionis; & in termino a quo generationis priuatio non præsupponit habitum formæ, quæ terminus est ad quem. Sib. Tale pariter est dogma tuum, quo scribis, Christianum præsupponi a nouo Christiano; quia simul tempore fiunt, simulque natura fiunt Christianus, & nouus Christianus, nec vllus esse potest ab initio, dum aqua baptismatis abluitur, nouus Christianus, quin sit Christianus; nec Christianus, quin simul sit nouus Christianus: Tale tuum dogma est, quo dicis te aliquando ostensurum Vlyssem esse Atheum; quum in eius operibus de anima scriptis, & in eius moribus Christiana pietas eluceat, quam omnes norunt, quicumque norunt Vlyssem. Tale dogma tuum est, quo probare te putas, nouum Christianum te non esse, quia natum te dicis honesto loco; quasi Romæ non nascantur, & Venetijs, & Olysippone, quæ loca sunt honesta, quotidie Iudæi, qui postea adulti noui Christiani fiunt, quique Christianos esse se mentiuntur. Vlysses autem eo loco tibi non inussit notam noui Christiani: sed absolute dixit, nouum esse Christianum apud Lusitanos male audire: tu vero generalem hanc sententiam ad te coarctasti: cur? an, quia conscientia mille testes? As. Sed quid opus est Vlyssem indagare aliquid de tuis gentilitijs? non ne sermo tuus in hoc

h 5. physic. t. 18. 5. meta. t. 19. 1. physi. t. 50. 10 meta. t. 10 & vlt.

k 2. de an. t. 5.

cõmentario satis proditum m educationem? nonne tuus aduentus in Italiam satis inuulgatus, Guzmanico persimilis aperte comprobat natales tuos? SIB. Quod Vlysses aduersus contumeliosos accumulet sententias ex sanctis Patribus; hoc illi laudem parit apud ingenuos, tum quod contumeliosos castiget, tum quod castigationes desumat, non scurriles de triuio, sed salutares ex sanctis Patribus; quibus si contumeliosi non resipiscant, sibimetipsis est imputandum. VER. Vnde nam tibi tanta cum carne inimicitia accedit, qui carnarius homo es? quod tibi turpe opprobrium esse potest, mihi autem; cui carnosum habitum, tanquam rem pudendam obijcis, parum tua dicacitate noces. AS. Vlysses non probat habitum corporis nimis obesum, & nimia carne stipatum, quia didicit a m Platone, ab n Aristotele, a o Galeno, a p Philone talem habitum esse disciplinis ineptum, & ignorantiæ parentem, & conseruatorem; tu iterum non Vlyssi, sed his oppone de proposito. Sed quomodo probaueris Vlyssem esse carnarium? vt recte quærere possis, vnde nam ille cum carne gerat inimicitiam? mi Verucex, ille neque carnarius est, neque pinguiarius: tibi hæc duo relinquit, quibus Martialem superas; qui vnum tantum habere se testatur, inquiens,

l pag. 124.
m 3. de Re.
n 4. de par.
cap. 10.
o ad Thras.
cap. 36.
p l. de Gigan.
* l. 11. ep. 99.

Sed idem amicam nolo mille librarum,
Carnarius sum, pinguiarius non sum.

VER. Esto, sis gracilis: contraxisti hunc habitum, quia dum famulus fuisti, nunquam satur esse poteras, mihi paterna domus alimentum suppeditauit. AS. Belle, tibi seruorum nullus habere poterit habitum carnosum? liberaliter educatorum nullus gracilis erit? Sed ego non possum non ridere de seruitute, quam obijcis Vlyssi: quum semper in patria vixerit in domo paterna, foris Bononiæ studijs Philosophiæ ac Medicinæ operam impendens, in domo Costæi, & Pendasij virorum insignium, vtrique commensalis, & alumnus, atque discipulus dilectissimus, ac non nisi ex affectu seruus: Quos auaros ita statuere non debes, vt Vlyssi necessaria ad bonum habitum non dederint alimenta. An tibi paterna domus in patria suppeditauerit alimenta, hoc ego nescio; scio tamen quod Pisis vulgatissimum est apud omnes, viaticulum, quo de Lusitania peruenires in Italiam, te tibi corrasisse partim arte circumforanea, partim Apellarum eleemosynis: quod dum non sat esset ad vitam, apud Gallos pharmacopolam circumforaneum egisse, Pisasque venisse centonibus opertum, ac a Lusitanis ibi victum & vestitum emendicasse; ignoro tamen, an eo tempore

q Vmb. 61.

fue-

fueris adeo pinguis, & habitu carnoso. VER. Denique mihi est in carne q durities, tibi in ossibus mollities. AS. Nihil veritate potentius: si mollitiem habet in ossibus Vlysses, iam & in carnibus, quæ natura sunt ossibus molliores: hinc ex Aristotelis doctrina colligere me vis Vlyssem esse virum ingeniosum, & mente aptum; te vero viceuersa ineptum mente, ac imprudentem; audi verba Magistri, r *Hunc autem habet sensum*, tactum videlicet, *homo certissimum*: *in alijs autem superatur ab animalibus multis; secundum autem tactum multo quam cetera excellentius percipit: vnde & prudentissimum animalium est. Signum autem est in genere hominum secundum sensorium hoc ingeniosos esse, & non ingeniosos, secundum autem aliud nullum: duri enim carne, inepti mente; molles autem carne bene apti.* Sed qui carne dura es, quomodo tactu dignoscere potes pulsuum differentias, & Medicus præstantissimus esse? forsan non rationalis ex artis habitu mederis; ast Empyricus, vt & olim circumforaneus pharmacopola. VER. s Exprobraui iam, & millies exprobrabo, te, cum tibi dixi, *Quicquid garrias* tamquam magna iniuria affectum turbas excitare, qui tamen impudentia plusquam satyrica t dicas, *Quicquid in oppositum u garriat Aristoteles.* AS. Optime demonstras hic summam inesse in tua carne duritiem, dum adeo mente ineptus es, vt non agnoscas eo loci Vlyssem ironice tecum loqui, ac Aristotelis contemptum ex tuis dictis, Philosophi doctrinæ repugnantibus, deducere, non ex se promere; tuamque sententiam, non Aristotelem irridere; statuereque Aristotelem tibi garrire, non sibi: quam ironiam vel puer ipse cognosceret: en verba mystici Satyri, *Miram hic ego demiror tuam Theologiam, qui nutricationem corpoream, quæ naturalis est, & proprie dicta nutritio, referas ad idem genus, & compares cum actione metaphorica mentis humanæ, atque cum ineffabili supercælestium intelligentiarum, seu beatorum Empyrei spirituum nutricatu: quicquid in oppositum garriat Aristoteles tum corruptibilia x genere distare ab incorruptibilibus, y tum comparationes fieri non debere, nisi inter ea, quæ sunt) eiusdem ordinis, ac speciei. Obstupescunt de tua sapientia omnes Philosophi.* &c. in quibus Vlysses opponens tuis placitis sententias Aristotelis, ironice te laudans reprobat, & ironice nuncupans garrientem Aristotelem, laudat & veneratur: qua loquendi formula probatissima non semel vtitur in Ferijs Vlysses; non nulla referam huius ironicæ redargutionis exempla; vnum est, quod in eodem libro Feriarum legitur huiusmodi, z *Valeat cum suis illis a aphorismis Hippocrates, qui mihi persuadere conatur, pueris maiorem, seu longe plurem inesse*

r 2. *de an.* t. 94.
s *pag.* 296.
t *Vmb.* 61.
u *pag.* 230.
x 10. *meta.* t. *vlt.*
y 7. *phy.* t. 24.
z *pag.* 36.
a 1. *aph.* 14 15.

b in com. & passim. *calorem quam iuuenibus: valeatque b Galenus cum alijs omnibus Medicinæ Principibus; qui mihi semper obtrudere tentant, calorem indies imminui semper: etenim tu demonstras mathematice, calorem vlteriori nutrimentorum confectione duplicari, & quadruplicari, & subinde perfici.* Secundum est, *Mirabilis c est hac tua logica; cui nec Aristotelicam, nec Lullianam, nec Ramensem vllus vnquam comparauerit.* SIB. Tertium est, *Tibi ergo d blaterat e Aristoteles, & cum eo garriunt omnes f Theologi, qui statuunt animã rationalem, seu mauis eam appellare ratiocinatricem, aduenire fœtui post organizationem corporis etiamnum intra vterum clauso, quadragesima die, vel circiter a conceptu: tecumque philosophari videntur nostra mulierculæ, quæ dicunt infantibus animam indi non nisi ab eos baptizante.* AS. Cõstat igitur ex his (ne plura cõsimilia referam) te non intellexisse ironiam Vlyssis, qui tibi garrire Aristotelem dicit, non sibi: quod quoties illi exprobraueris, toties tuam supinam ignorantiam manifestaueris. VER. Ais igitur, *Excrementa nec nutriunt, nec nutriuntur:* Duas hoc tuum pronunciatum habet partes, primo primam expendamus. *excrementa non nutriunt:* cur non nutriunt? ad hoc quæsitum ita respondes; non alunt, quia sunt excrementa, hoc est non alimẽta. Vide quid dicas temulente: cerebrum tuum præ vino nutare videtur: nonne in tuo illo libro de his, qui sine k cibo viuunt, sæpius l repetis, lutum non esse alimentum, sed ratione excrementorum, quæ in ipso sunt, m alere? &c. Tu me increpas, quod cruditates cum excrementis confundam; nam cruditates alunt, quia non sunt excrementa: si rursus quæram, cur cruditates non sunt excrementa, respondes, quia alunt, atque ita logicæ omnino n expers, nec te pudet, efficis circulum, petis principium, & hæc est tua Encyclopædia. Altera pars tuæ positionis est, *Excrementa non nutriuntur*, nempe vt me accuses, qui dico cruditates nutriri; nec voluisti ex antecedentibus errorem typographi corrigere. Non vis vt dicam excrementa nutriri: cur ita? quia, vt tu ais, excrementa non sunt viuentia: at Hippocrates, qui paullo minus quam tu, sapit, non viuentibus o accommodat nutritionem, sic spiritus nutriri dixit, alimentum per nares ingredi &c. Præterea tu, qui grammaticum profiteris, nescis hoc verbum etiam p incorporeis rebus accommodari, nutriuntur odia, inimicitiæ, simultates &c. AS. Pene patientiam, mihi naturalem, exueram: sed breuiter has vmbras discutiam. Vlysses tibi temulentus est, o Veruex, cui cerebrum præ nimio vino nutare videtur; & hoc sępe repetis in hoc tuo cõmento: id quidem ego non negauero, sed ex te sumo, meum

c pag. 106.
d pag. 133.
e 2. de gen. an. c. 3.
f D. Th. 1. p. q. 76. cap. 3.
g pag. 170.
h p. 204.
i Vmbr. 63.
k Vmb. 64.
l l. 4. ca. 3.
m Vmb. 65
n Vmb. 66.
o Vmb. 67.
p Vmb. 68.

Vlysem esse quidem temulentum, sed temulentum Satyrum, hoc est probatissimorum testimonio Doctorem eximium; ita laudans Virgilius summum Philosophum Silonem præceptorem suum, ait ipsum esse Silenum Satyrum q Ebrium, q Eccl. 6.

Silenum pueri somno videre iacentem

Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho. &c.

sic eruditus *de la Cerda* ad hunc locum ait, *volunt Mythologi* ideo ebrium induci hunc *Satyrum*, quia aliorum doctor. Doctorum vero pectora oportet esse madida, & plena doctrinis præstantissimis. Inde fortasse Bacchus doctor fingitur ab r Hor. r l. 2. od. 19

Bacchum in remotis carmina rupibus

Vidi docentem,

sic Silenus ille, a Mida captus, qui testimonio s Plutarchi dicitur ab Aristotele diuina oracula Regi dedisse, fuit ebrius observatu Pausaniæ in Atticis; qui agens de fonte Midæ scribit, t *vbi illi Ancyra, Phrygum oppido, occupata, vltra Sangarium amnem concederunt. Eam vrbem Midas Gordij filius condiderat: & ad meam sane vsque ætatem permansit anchora ab eo inuenta in Iouis æde: & fons ille, quem Mida nominant, monstrabatur, in quem vinum infudisse Midam, vt Silenum captaret, vulgo creditum est.* Quæ vulgi opinio, vt proprie vera esse non potuit; quippe vinum infusum aquæ fontis nec gustum, nec olfactum allicere quiuit, nec diutule conseruari; aquæ perenni scaturigine vinum vincente; sic verisimile satis est, ad fontem posuisse Midam vel homines sapientes, vel monumenta diserta, quibus ille Silenus persuasus, ac veluti vinctus rationibus ad Midam duceretur: vtcumque sit, in Satyro temulentia doctrinæ significat vbertatem; & quæ fundit Satyrus ebrius, oracula sunt supra conditionem humanam a Semideo prolata. Quod primum obijcis, male dici, excrementa non nutrire, quia sunt excrementa, quoniam alibi dictum sit, lutum alere ratione excrementorum, quæ in ipso sunt; facile diluitur; quia eadem res in luto est excrementum eorum viuentium, a quibus prouenit; est alimentum aliorum, quibus non est excrementum; quare nulla contradictio. Quod secundo, circulum opponis, quo diceret Vlyses, cruditates alere, quia non sunt excrementa; & cruditates non esse excrementa, quia alunt: nihil Vlysem turbat, quia manifeste Philosophus circulum admittit in ijs, quæcumque seinuicem consequuntur quemadmodum propria; & in ijs, quæ sunt sibi inuicem causæ, cuiusmodi res se habet in proposito nostro: mihi non credis? en primum decretum Aristotelis, u *Quare contingit dicere circulo asserentes esse demonstrationem* u 1. post. t. 25.

s Cons. ad Apoll.

t in Eudi.

tionem, nihil alterum, quam quod A existente, A est: sic autem fa-
x t. 2I. *cile est omnia monstrare. x Verum neque hoc possibile, praeterquam in ijs, quaecumque seinuicem consequuntur; quemadmodum propria:* nunc videamus an hæc, alimentum, non excremẽtum, seinuicem consequantur, quemadmodum propria: id quidem apertum est ex definitione alimenti, quo de agimus, & ex definitione excrementi; nam definitio, & definitum seinuicem consequuntur: definitur autem alimẽtum esse succus in corpore aptus alendo; excrementum vero succus in corpore ineptus alẽdo; & quum in corpore succi duo tantum sint, quorum alter alendo est aptus, alter ineptus: iam seinuicem consequuntur, succus alimentaris, succus non excrementitius in corpore: vnde circulo probari potest ex Aristotele; cruditatem alere, quia non est excrementum; & e contra cruditatem non esse excrementum, quia nutrit. Vis secundum decretum Aristotelis? ait ille, z *Sunt autem*
z 2. phy. t. 30. *quaedam et adinuicem caussa; vt laborare caussa est bonae habitudinis; & haec laborandi; sed non eodem modo; sed hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus*: inter has autem dari circulum
a t. 29. monuit Aristoteles tum paullo supra dicens, a *Praeterea, vt finis, hic autem est id, cuius gratia, vt ambulandi sanitas: propter quid enim ambulat? dicimus, vt sanus sit, & ita locuti opinamur assignasse caussam*: tum alibi docens, vnamquamque caussarum esse posse b medium in demonstratione: quare vt circulari de-
b 2. post. t. 48. & seq. monstratione potest ostendi Horatio ambulandum esse, vt sanus sit; & vicissim, Horatium esse sanum, quoniam ambulauit: ita circulo recte probatum fuit, cruditatem alere, quia non est excrementum; & vicissim, cruditatem non esse excrementum, quia nutrit; cruditas enim est caussa materialis, vel si placet vna ex efficientibus instrumentarijs alitionis; alitio vero est finis cruditatis, quatenus est semicoctum alimentum, a simplici excremento, cuius finis est τὸ non-alere, contradistinctum. Sed ne, tibi Circulatori, circulos litterarios immerito plusquam Vatiniano odio persequenti, molestus sim, dabo disputandi gratia circulos inter demonstrandum esse vitandos; ast moneo te, propositam probationem ab Vlysse dici posse regressum inculpatum, quo in scientijs vti posse, statuit c Aristoteles inquiens
c 1. post. t. 96. & seq. posse nos, ac debere primum demonstratione Quia progredi ab effectu noto ad inuestigandum caussam ignotam; deinde regredi demonstratione Propter quid ad scientifice confirmandum effectum; quum enim licuerit Aristoteli demonstrare, Parietem non habere pulmones, quia non respirat, demonstratione Quia, si lubet (est enim respiratio effectus pulmonum) & in

de

de regredi ad ostendendum, Parietem non respirare, quia caret pulmonibus, demonstratione Propter quid: Quin & quum apertius demonstret Aristoteles Planetas esse prope, quia non scintillant; & vicissim non scintillare, quia prope sunt; iam non amplius increpes Vlyssem, nec illi tam acriter obijcias imperitiam Logicæ, quia tibi probauerit cruditates non esse excrementa, quod alant; & alere, quia non sunt excrementa. Sic ergo circuli obstaculo sublato; veniamus ad petitionem principij, quā putas esse in eo, quod probauerit, *excrementa non alere, quia sunt excrementa, hoc est non alimenta*. VER. Quis hoc non putet? As. Quisque, præter eum, qui non agnoscit discrimen positum ab d Aristotele inter caussam primam, & non primam; quiq; non pareret præcepto eiusdem Philosophi decernentis, scientifico referendos effectus esse in d primam caussam; en eius verba, *Oportet autem semper caussam vniuscuiusque summam quærere, vt & in alijs: vt homo ædificat, quoniam ædificator est: ædificator autem est secundum ædificandi artem: hæc igitur prior caussa est: et sic in omnibus*. quum enim ars ædificandi sit forma constituens in esse ædificatorem, & ædificator sit caussa efficiens ædificationem; ideo qui dicit, ædificatorem ædificare quoniam agit secundum ædificandi artem, siue quoniam habet in se artem ædificandi, non petit principium Aristoteles; ita pariter Vlysses in proposito principium non petit, quoniam τὸ non alere est velut effectus excrementi priuatiuus; & non-alimentum est forma constituens excrementum; nam excrementum definitur succus ab alimento separatus alendo ineptus; quatenus ab alimento separatus est, non-alimentum est; quod est excrementi forma; quatenus autem alendo ineptus est, non alit: sed hæ formalitates ob nominum similitudinem tibi forsan conspicuæ non fuere. Ad alteram partem obiectionis, seu potius fugæ tuæ deueniens, dico te ab Vlyse merito reprobatum, quod asserueris, excrementa posse nutriri: tu vero tria tibi subterfugia quæris, primo culpam reijcis in typographum: hoc quidem verum esse potest; sed tot ac tam graues huiusmodi lapsus habentur in opere tuo, vt miser ille videatur immerito culpari de scriptoris erroribus: at quod quereris, Vlysem noluisse corrigere typographo datum errorem, iniuste quereris; quia nemo debet aliorum scripta mutare; Secundum subterfugium est, Hippocratem accommodare nutritionem non viuentibus, dum ait spiritus nutriri: quod facile diluitur, tum quia tecum Vlyses eo loco tractabat de verá nutritione ac propria; non autem de e metaphorica & impropriè dicta, de qua tu confiteris vltro Hip-

d 2. phy. t. 17. & 38.

e 2. de mei. mie. ca. 2.

Hippocratem agere: tum quia qui negas hic spiritus animatos esse, profiterisque non uiuentes esse, contradictionis nodo vinciris, qui dudum Macrocosmista spiritus animatos, ac viuentes esse pronunciasti dicens, *Semen igitur iam perfectum spiritibus ebulliens, & salsedine pruriens locum dedit poetarum fabulæ, qui Venerem aphroditam ex maris spuma ortam canunt. Spiritus is est principium per se mobile ac subinde animatum*, &c. Tertium subterfugium est; nutriendi verbum a poetis, rhetoricis, & grammaticis accommodari quoque rebus incorporeis, quod dicantur nutriri odia, simultates, inimicitiæ, ac id generis alia; id quidem scio, sed nostra disputatio est, & Vlyssea tecum erat de alimento, & nutriendi munere proprie dicto rerum corporearum, & animatarum; nec extra chorum tibi saltare licet. Verum hac de re ceterisque didascalicis alijs suo loco ac tempore latius tecum aget Regulus. Ver. Quid aduersum me poterit in rebus didascalicis ille Regulus, qui litteras non didicit? qui philosophiam non callet? Reg. Quasi multis litteris, & subtili philosophia sit opus ad tua placita diruenda, Veruex, qui

f pag. 5. pro eodem f sumis, corpus viuens, & quod e viuente defluxit. 2. ais animalcula nutriri excrementis ex viuente prodeuntibus, & tamen non accipere sibi nutrimentum ex viuente. 3. vis lutum esse mistum perfectum, quia in se contineat mista perfecta; quasi mare viuens sit, quia in se contineat viuentes pisces. 4 dicis alimentum nullam habere communitatem cum viuente:

g pag. 6. quasi cum eo non communicet in materia. 5. ais dicentes alimentum & viuens in materia conuenire, ponere multiplicitatem materiæ. 6. statuis materiam communissimam, omnium primam, esse in potentia proxima ad animam. 7. pro eodem accipis communissimam materiam primam, & corpus mortale. 8. ponis duos motus locales numero distinctos sibi inuicem succedere sine quiete intermedia. 9. pro eodem accipis separare seu distinguere, atque corrumpere. 10. vis actum prius vnire ea, quæ postea distinguit. 11. vis alimentum, & quod alitur, ratione prius vnita esse per actum, deinde per eundem separari; quæ quidem antilogia est error cerebri, non calami. 12. negas materiam facere conuenientiam & communionem rerum. 13.

h pag. 10. vis formam eamdem pariter vnire, & distinguere separareque res easdem. 14. negas h aptitudinem & potentiam ad vitam esse a materia. 15. vis priuationem esse caussam potentiæ & aptitu-

i 1. phy. t. 81 dinis in materia; quæ tamen Aristotelis i decreto appetit formã secundum suam ipsius naturam. 16. dicis augmentum fieri in ætate consistendi. 17. ais senes vere non minui, contra decretum Hippocratis in libello de alimento, quem commentis

tuis

tuis obnubilas, asserentis, *Et carnes, et alia multa alimenti species, et iuxta consuetudinem alunt, partim ad augmentum, & ad esse; partim ad esse solum, velut in senibus.* 18. statuis senes augeri, quia fiunt ventricosi; quasi tumor hidropici sit augmentum; & Hippocrates augmentum senibus non negauerit in hoc opere de Alimento, quod tractas. 19. decernis per senium minui facultates organicas, visiuam, nutricem, & alias, reclamante k Aristotele verbis apertissimis, asserente, *Intellectus autem videtur innasci, substantia quadam existens, & non corrumpi: maxime enim corrumperetur vtique ab ea, quæ est in senio debilitate; nunc autem, quemadmodum in sensorijs, accidit: si enim acciperet senex oculum talem, & videret vtique sicut & iuuenis: quapropter senium non est, quia sustinuit aliquid anima; sed id, in quo; sicut in ebrietatibus, & morbis:* anima siquidem Aristoteli re idem l est cum sua facultate, ac potentia; nam eadem res relata ad corpus, cuius est forma & actus primus, dicitur anima; relata ad operationes, quarum est principium actiuum, dicitur facultas operatrix, & potentia actiua. 20. dicis facultatem visiuam, & alias organicas, non inesse in anima, sed esse accidentia subiectata in toto composito, vel in materia, prout sub forma est. 21. non distinguis facultatem, siue potentiam a sua functione, ridicule dicens nutritionem esse facultatem naturalem. 22. dicis m etiam augmentationem esse potentiam materialem, quum sit operatio talis potentiæ. 23. ais senes non vere minui, sed augeri, vel consistere in eadem mole corporis, quia etsi decrescat in eis humidum substantificum; tamen excrementis abundant, quæ illos conseruant in consistentia, & augent: quasi excrementa conseruent animati substantiam, non alimenta, vt ait n Aristoteles; quasique possint excrementa augere, quæ conuerti nequeunt in substantiam aliti. 24. tabem paralytici vis esse naturalem diminutionem. 25. dimensiones, o quæ sunt accidentia, vis esse partes animati corporis. 26. in p nutritione dicis parem substantiam acquiri ei, quæ effluxit, negans augmentum, & decrementum. 27. ais partes in nutritione assimilari; quum alimentum sit id, quod partibus assimilatur. 28. scribis q nutritionem, & generationem viuentis differre, non ratione termini ad quem, sed ratione termini a quo, contra decretum euidens r Aristotelis. 29. Nutritionis terminum a quo dicis habere naturam positiuam; quum tamen nutritio sit generatio quædam substantiæ viuentis ex alimento prout caret forma viuentis, quam per actum nutritionis subire debet; ac omnis generatio formaliter fiat entis ex non ente, sitque mutatio a non esse ad esse. 30. terminum

k 1. de an. t. 65.
l 2. de an. t. 34.
m pag. 15.
n 2 de an. t. 47. & seqq.
o pag. 19.
p pag. 22.
q pag. 27.
r 5. phy. t. 4. & seqq.

minum a quo, & ex quo ais esse extrinsecum mutationi; ad quem vero intrinsecum; quum contrariorum eadem sit ratio: & contraria nata sint esse in eodem. 31. dicis in eodem instanti fieri viuens, & nutriri; adeoque nutriri id, quod nondum omnino est; quum esse sit terminus ad quē tendit ipsum *s* fieri: & Aristoteli quod fit, dum fit, *t* nondum omnino fit. 32. Falsum esse dicis *u* corruptionem compositi accidere ex eo quod materia appetat formam diuersam ab ea, quam habet. 33. Scribis in compositi interitu omnia componentia euanescere, aut saltem deteriorem conditionem subire; quum in corruptione hominis corpus non euanescat, & anima *x* meliorem conditionem subeat, non vno Philosophi decreto; & in corruptione compositi nunquam materia euanescat, quæ vt ingenita, sic est *y* Incorruptibilis. 34. Mistionem ex elementis *z* ais nunquam fieri, præter eam, quæ facta fuit in prima mundi constitutione. 35. Dicis nullum mistum vnquam resolui in elementa, sed semper in aliud mistum. 36. Negas *a* elementis partes alias esse puras, & alias impuras; & inde non oriri consimilem differentiam partium in mistis, contra decretum euidens *b* Aristotelis, & sensum. 37. Dicis, toto secundum plures partes putrefacto, si remanent aliquę partes putredinis immunes, ab his posse suum totum adhuc vindicari; quasi vel dentes & ossa sepulti cadaueris iam putridi putredinis immunia possint cadauer a putredine vindicare; vel viuentis hominis brachium sanum valeat putridam manum a cancrena seu sphacelo, reuocare ad pristinum statum. 38. scribis, *c* alimentum non esse nisi quod actu alit; quum *d* Aristoteles alimentum ponat tam inconcoctum, quam concoctum. 39. Nō agnoscis alimentū potentia duplex esse, alterum externum, alterum intrinsecus assumptum, quod nondum perfecte coctū est. 40 Non vis *e* caussam effectricem esse tempore *f* priorē suo effectu; contra decretum Arist. 41. Negas animam esse caussam nutritionis, eamque effectricem; contra *g* Philosophum. 42. Ais corpus non *h* defatigari, etiamsi de suo vigore multum deperdat. 43. scribis *i* perfectionem non afferre vllam vtilitatem ei, quod perficitur. 44. non distinguis vtilitatem ab esse. 45. dicis viuens consistere in nutritione, adeoque causam in suo effectu. 46. confundis ocium cum libertate, quasi dari nequeat agens liberum nunquam in ocio, sed semper agens; & tamen asseris Deum agere libere, qui nunquam ociatur, sed semper agit. 47. dicis rationalis K potentiæ functiones, ratiocinantisque facultatis actiones ad sensitiuam animam spectare. 48. ais nutricationem deseruire corpori ad nutritionem. 49. statuis principium, vt principium,

- s 5. phy. t. 4. & seqq.
- t 2. meta. t. 7.
- u pag. 29.
- x 1. de an. t. 49.
- 12. meta. t. 51.
- y 1. phy. t. 82.
- z pag. 39.
- a pag. 30.
- b 1. meteo. cap. 4.
- c pag. 31.
- d 2. de an. t. 44. 45.
- e pag. 36.
- f 12. meta. t. 16. 17.
- g 2. de an. t. 36. 37. & seqq.
- h pag. 37.
- i pag. 38.
- K pag. 39.

cipium,non agere;& proinde dici non recte principium agens. 50.recenses nutritionem in numero *l* facultatum naturalium, non videns eam esse functionem a facultate prodeuntem.51. Putas dari agens liberum, quod non *m* habeat vim cognoscendi; contra decretum *n* Aristotelis. As. Heus,o Regule,quid tantum mihi temporis eripis? an nescis mihi nunc aquam fluere? contra Veruecem hæc,& alia his absurdiora notabis alias,quando tua erit clepsydra: sine me nunc ad hanc aquam dicere;memineris que tantumdem temporis mihi dare in tua clepsydra: sufficiat nunc tibi notasse quinquaginta supra vnam vmbram quas addendas censeo notatis a me dudum sub numero sexagesimo octauo. Nunc ad præsepe tuarum nebulosarum,o veruex, me conuerto, & ad ea loca, in quibus locutionem misere torques; non quidem omnia diligenter excussurus, quia lectori tædiosam exhibere nolo molestiam;sed insigniora quędam carptim attingam eloquentiæ tuæ sidera: selige tu mihi, quæ putas illustriora. VER. Aliæ *o* cuiusuis caussę male dicis, *alius caussa* dicere *p* debueras. As. Male sit illi Calepino, Nizolio, Prisciano, Gellio, & Ciceroni, qui fefellerunt Vlyssem;Calepinus enim ait, *Alius alia aliud, genitiuo alius: olim faciebat genitiuum, & datiuum sicut cetera adiectiua prima, et secunda declinationis. Cic. de nat. Deo. Quibus bestijs erat is cibus, vt alij generis bestijs vescerentur: alij generis inquit pro alius.* Et alterius editionis Calepinus meus habet, *Alius alia aliud, genit. alius, vel alij aliæ alij, dat. alio alia alio.* Nizolius idem dicit: idem profert Priscianus *q* multis adiectis testimonijs e Cicerone, Terentio, & alijs purioris linguæ scriptoribus inquiens, *Alius quoque tam huius alius penultima circumflexa, quam alij genitiuus inuenitur apud veteres. Cicilius. 1. v. Nullius alia rei nisi amicitiæ caussa: alia pro alius dixit: Cæsar in Anticatone, Nam per iniuriam sciet cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, vbi datus est, tum eos mutem, atque alij modi sim. Glicini. in* 11. *Peruersum esse alij modi postulare.* Tullius item alibi scribit, *r Sed si eadem hora alia pecudis iecur nitidum atque plenum est, alia horridum & exile, quid est quod declarari possit habitu extorum & colore?* Apud Agellium itidem *Inscriptio alio alia locum & nomen teneret.* Ita quidem Vlysses in grammaticam non peccauit, sed quomodo saluis grammaticæ legibus tu prius dixeris, *Multa alia possem ad huius placiti confirmationem afferre: sed instar multarum nobis sit D. Augustini pronunciatum:* qnum *multorum* dicere debuisses;at frequentissima est generis discordia inter tua substantiua cum adiectiuis. VER. Ais, *a calore viribus t pollentiore,* poteras dicere potentiore

l pag. 42.
m pag. 43.
n 8. phy. c. 8.
o pag. 24.
p Vmb. 12.
q lib. 6. 13.
r 2. de diu.
s lib. 17. cap. 9
t pag. 12.

u Vmb.122 tiore, sed grammatices factus tyrannus *u* verba tibi fingere vis.
x Em. Ad. As. Pollentiore pro potentiore, non dure, & vt ais, grammaticæ factus tyrannus vti voluit Vlysses verba fingens; sed potuit satis facile ac molliter deducere, quia Grammaticorum *x* obseruatu, *participia præcipue præsentis temporis, maxime quum nominum naturam induunt* (vt hoc loco *pollens*) *more eorum comparantur*. Sed ostende tu te non finxisse contra omnem grammaticæ
y pag. 3. legem, atque nitorem verba illa *y* tua, *deterioratur*, deterrimam
z Vmb.123 locutionem, * *impregnaret*, latinum tibi soli & honestum; *cen-*
*pag. 304. *furaret*, quod *b* censoria virgula dignum est; vt & alia multa.
a pag. 242. Ver. Tu autem magnus grammaticus aliter construenda hæc
b Vmb.124 verba censes, nempe *Alimentum conseruat substantiam, & alimentum eousque est, quousque alitur, hoc est, quousque fit alitio in*
c pag. 24 *viuente*. Consule grammaticos omnes, videbis nullum esse, qui
d Vmb.125 tibi hanc constructionem permittat, quippe *alitur d* personale est verbum, *fit alitio* impersonale dicitur. As. Rident pueri hęc audientes; ipsis enim & *amatur* personale est verbum, sed & ipsum impersonale fit, quum absolute dicitur: Plautus: *Quid agitur Callidore? amatur, atque egetur acriter*. statuuntque te stulte impudenterque dicere, nullum esse inter grammaticos omnes Vlyssi consulendos, qui sibi constructionem hanc, & hoc genus impersonalium permittat, quum omnes permittant. Vnum pro omnibus tibi consulendum proponunt, ac Lusitanum, Emanuelem Aluarum. Et is quidem de te, tuique similibus conqueritur, vbi de his fuse simul ac erudite disputat. Consule tu grammaticos, num recte scripseris Ver. *e* Interim quia
e pag. 35. Aristoteles semel dixit omnem motum esse cōtinuum, *f* iterum
f Vmb.126 vero accretionis & decretionis motum continuum esse negauit. As. Videbis te male vsum aduerbio *iterum* ad significandum contrariæ sententiæ superiori adiectionem, ac dicendum
g pag. 35. fuisse, *aliquando dixit, aliquando negauit*. Ver. *g* Statum consi-
h Vmb.127 stentiæ tractans inquis, est motus, quia est conuersio alimenti in substantiam corporis viuentis; est etiam status, quia per eum viuens non mutat suæ magnitudinis terminos. At o *h* grammatice, hoc non est dicere motum consistentiæ, sed in vno & eodem tempore secundum diuersas rationes dari statum consistentiamue simul & motum. As. Tua grammatica Vlysseæ lapsum tetro sidere notans, adeo tenuis & perspicax est, vt inuisibilem videat errorem grammaticæ, qui non est in dictis Vlyssis. Verum scire te oporteret, quando simul in eodem sunt motus & status sola varietate rationis ab inuicem distincti, vt in ætate consistentię motus nutritionis, quę mutatio est alimenti

in

in substantiam viuentis,& status secundum augmentū & decrementum,tunc illæsa grammatica & Philosophia dici posse motum consistentiæ : sic in eodem cœlo est motus circularis partiū omnium, & quies totius in eodē loco ; quare dici potest corpus perpetuo cōuersum in æterna quiete;& corpus semper quiescēs in perenni motu: circularisque motus est motus partium totius quiescentis. Sed & consistentiæ status designat nobis ætatem,in qua tantumdē quum alimentis apponatur corpori, quātum ex eo defluxerat; satis apertum est vnam & eamdem functionem versionis alimenti esse statum, & motum ; adeoque vnius & eiusdem consistentiæ simul esse statum magnitudinis, & motum nutricationis. Quinimmo (quod tu non vides) motus consistentiæ non dicitur (vt hoc tibi subtiliora non percipienti proponam,)ad significandum causam & effectum, sed ad significandum tempus; perinde ac homines belli Troiani, & homines primitiuæ Ecclesiæ dicuntur illi,qui fuerunt quo tempore bellum Troianum, ac primitiua Ecclesia : sic putato motum consistentiæ sine labe grammaticæ dici, motum alimenti, qui fit in animali, quod alitur, in tota consistentia sine sui augmento, & decremento. Ceterum tua grammatica se se mirabilem prodit in his, quæ mox affers addens, VER. De [i] hoc statu *[i] pag. eod.*
consistentiæ dicis loquutum Aristotelem quando solius accretionis & decretionis mentionem fecit : optime quidem: quando loquutus est de hoc statu consistentiæ, inquiens (aluntur *k* & viuunt) de hoc statu mentionem nullam fecit, sed solius *[k] Vmbr.*
augmenti & decrementi. As. Qui verba Vlyssis clarissima non *128.*
intelligis, quomodo perspicere percipereque te posse speras Hippocratica tenebricosissima ? falso nunc more tuo tribuis Vlyssi, quæ nunquam ipse somniauit: scripsit enim citatis verbis, *Magistrum in [l] hoc vltimo dogmate meminisse solius augmen-* *[l] 3. de an.*
ti, & decrementi; non item status; cuius tamen meminerat in se- *t. 59.*
cundo theoremate nuperrime: Sed te decepit illa particula *nuperrime*, quam quum referre debuisses ad theorema tertium secundo loco latum in eodem tex. 59. lib. 3. de an. tu perperam illam retulisti ad tex. 14. lib. 2. de an. quem Vlysses adduxerat in confirmationem tertij theorematis : Athos mi crasse, theorema secundum, in quo Philosophus meminit, Vlysse notante, status, habetur in textu ab eodem Vlysse in margine libri a te non intellecti citato, his notis, *Necesse est enim, quod genitum est, augmentum habere, & statum, & decrementum; hæc autem sine alimento est impossibile.* tertium theorema, in quo solius decrementi, & augmenti, non item status, mentio fit, immediate legitur

gitur his notis, *Necesse est igitur inesse nutritiuam potentiam in omnibus, quæ augmentantur, & diminuuntur:* vbi videre poteras
m pag. 36. nullam status mentionem fieri. VER. Adiungis *m* animam non dependere a nutritionis munere, sed vicissim (voluisti dicere
n Vmb. 129. *n* viceuersa; nam vicissitudo reciprocationem significat) cum ergo res independentes diutius valeant sine alijs consistere, po-
o Vmb. 130. terit anima, quæ independens est, diu consistere sine *o* alijs. Admoneo, te vt expurgas illud *diu*; nam cum eo enthimema erit
p Vmbr. 131. falsum; siquidem aliquid ponis in consequente, quod *p* non est in antecedente, hoc modo, Id quod independens est, potest
q Vmbr. 132. absque alijs *q* consistere; ergo anima, quæ est independens, poterit diu absque alijs consistere. As. In primis quidem si pædagogus ille, a quo tu mutuatus es parenthesim, bonum habuisset Calepinum, facile nouisset Vlyssem recte vsum particula *vicissim* pro *e contrario*, siue vti tu dicis, pro *viceuersa*; nam in meo Calepino legitur, *Vicissim aduerb. significat, per vices, siue alternatim, vt vicissim incumbunt oneri: quandoque significat, secundo loco, siue, e contrario. Cic. in Lal. Sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione, me dilexit.* Poteris etiam tu videre Dictionarium, non Calderini (quo solo fortassis vteris) sed quod alio nomine dicitur Thesaurus linguæ latinæ, vbi plurimæ ponuntur autoritates probatissimorum autorum in proposito: quæ mea defensio longe abest ab illa tua, qua superius dixeras, VER. *r* Hæc in me iactas addita etiam grammati-
r pag. 21. ca quadam censura quia dixi, dentes *continuo augeri*, cum debe-
s Vmbr. 133. rem dicere *continuè*. Sed ego *s continuò* dicam, hoc est, promptè. As. Continuantur tua crimina, non soluuntur; aut ex grauibus multo grauiora fiunt: dum enim verborum significationem defendis, rerum prouinciam deseris: quid enim ad continuitatem, de qua sermo est, tua promptitudinis interpretatio? Deinde vero (vt redeamus ad tuam obiectionem circa animæ independentiam a nutricatu) rogo te, ne tam sæpe meas rationes afferens, eas peruertas, sed ex fide referas; collegi namque animam nutritiuam in homine diu consistere *sine altione*, non autem sine alijs, vti tu falso refers. Deinceps admoneo te, non solum vt recte scribas enthymema, sed vt bene noscas enthymema; nam Vlyssis ratio cathegorica perfecti syllogismi formam habet, non est enthymema; siquidem minori, quam tu non vides, attexuit maiorem propositionem, quam tu perperam vocas antecedens; ex quibus conclusionem infert his plane verbis, *Amplius anima non dependet a nutriendi munere, sed vicissim; quum sit illius muneris caussa; quum ergo cuncta indepen-*

dentia diutius valeant sine alijs consistere: quid ni diu maneat in nobis anima sine omni penitus actione? Præterea vero tibi quærenda sunt meliora perspicilla, quibus videre possis in maiori, siue in abste vocato antecedente, particulam *diutius*: & certe miror te, minorem particulam *diu* conspexisse in conclusione, maiorem notam *diutius* non vidisse in antecedente: sed fortasse tua grammatica te docuit, non idem significare *diu*, & *diutius*: vti tua logica te docuit, cathegoricum syllogismum perfectum appellare enthymema, quod est imperfectus syllogismus t Aristoteli carens vna præmissarum. Verum enimuero, t *2. prio. cap. 34.* si vis, omissa minori præmissa, ex maiori Vlyssea, & conclusione conficere tuum enthymema, iam ipsius verbis ex fide relatis, adspicies in antecedente positam particulam *diutius*, & in conclusione particulam *diu*, scribit enim Vlysses in loco a te citato huiuscemodi verba, *Quum ergo cuncta independentia diutius valeant sine alijs consistere; quid ni diu maneat in nobis anima sine omni penitus actione?* si quidem ipsa non dependet a nutriendi munere. Sed tuam ego præterea Logicam suspicio, quæ non patitur aliquid in consequente poni, quod non præfuerit in antecedente: Bardus Aristoteles mihi semper obtrudere tentat, in enthymematis conclusione duos terminos extremos esse ponendos, quorum alter tantummodo locetur in antecedente: quin & persuadere mihi u sæpe conatur enthymema bonum u *2. prio. cap. 34. 1. rhet. c. 2 & passim.* esse, quo dicitur, Lucretia lactat, ergo peperit; quum tamen tibi propterea reprobetur hoc enthymema, quod in conclusione gerat verbum *peperit*, cui nullus est locus in antecedente. mi Veruex in antecedente debet esse medius terminus, qui non potest esse in conclusione: & in conclusione sunt duo extrema, quorum vnum tantum esse potest in antecedente? VER. Nunquid necesse est vt quod potest sine alio consistere, possit diu x consistere sine alio? y victima in sacrificio (vt narrat Galenus) potuit exempto Corde respirare, clamare, currere; quæ x *Vmb. 134* y *pag. 37.* sunt operationes viuentis; at non potuit diu in eo statu consistere. As. Non hæc dicit Vlysses; ast ait, quod ab alio non pendet, id sine illo diutius consistere posse. Victima exempto corde non potuit diu respirare, currere, clamare; quia functiones hæ dependent speciatim a Corde, quod ad eas exercendas demandat spiritus vitales, sine quibus vni spiritus animales a Cerebro defluentes non possunt easdem edere: quare quandiu remanserit in illis partibus ea spirituum vitalium copia, quæ sufficiat vna cum animalibus ad illas operationes, tandiu illæ seruari poterunt: atuero quia corde sublato cito consumuntur illi spi-

ritus

ritus vitales, ideo victima exempto corde non potest diu currere, vociferare, respirare. VER. Sit ergo anima independens: sit caussa effectrix suo effectu prior tempore: vtrumque tibi gratis concedo: attamen tempus illud breuissima mora fuit, ex qua non potest colligi ocium diuturnum. AS. Ingratijs habet Vlysses hæc abste, quæ sibi demonstratione comparauit. Iam victus concedis animam feriari posse a nutritione, sed breui tempore ais; hoc vero mihi sufficit contra te; nam ita nutritio non debet esse necessaria prorsus ad vitam, & continua ratione animæ; quod tu volebas. Ceterum si breui tēpore datur ocium nutritiuæ animæ ex parte sua, dari potest & longo, quia magis & minus in proposito non variat speciem. Reg. Aselle contine sermonem intra limites tibi præscriptos, nec in meam prouinciam excurras: tange mores, & locutionem, & quod ijs necessario coniunctum est disciplinarum. AS. Iam ergo Veruex explica mihi sequentem in præsepe stellulam. VER. [z] Sumis alterum argumentum a generatione, aisque, *Amplius rationi consonum est, corpus si a vita functionibus perfectionem sortitur, a dignioribus maiorem perfectionis gradum adipisci; cum ergo cunctarum functionum vegetalium propagatio sobolis sit omnium perfectissima; quippe in eam, velut in finem, nutricatio, & augmentatio ab [a] Aristotele redigi visa est dudum, & vulgo perfectissimum opus predicetur; certe magis a generatione sobolis, quam a nutricatione perficietur corpus.* * *Aut vero quod impune totam vitam ad multos annos generandi perfectione carere potest, qua lege aliquot menses, et annos minori alimonia perfectione idem corpus carere nequibit?* Hæc tua bella argumentatio bella latinitate confecta, in qua præter cætera ais, *cum visa* [b] *est, &* [c] *predicetur*, vt in eadem oratione *cum* [d] præpositio duos modos simul postulare velis. Hoc vnum volui annotare, vt aliqua ex parte tuam sequar grammaticalem scrupulositatem. Ad rem venio &c. Vt generatio conseruationem speciei respiciens Aristoteli est [e] incessabilis in tota specie; eodem modo nutritio, quæ, vt generatio speciei, sic illa indiuidui custodiam respicit; & rursus sicut generatio in [f] specie permanentiam, sic illa in indiuiduo [g] eamdem conseruat. AS. Sunt qui, hæc tua legentes, te, non bellum hominem, sed belluam prorsus appellent in grammatica, dum Vlysem accusas immerito quod male coniunxerit verba, *visa est*, & *predicetur*; neque enim tu, amentia furoreque præceps, & cæcus cernere potuisti ea duo ad eamdem particulam *quum* non referri; sed verbum *visa est* ad particulam *quippe*; at verbum *predicetur* ad particulam *quum*. Præterea quum Vlyses in sua orthographia

Marginal notes: z pag. 40. — a 2. de an. t. 49. — * Vmbr. — b Vmbr. 135. — c Vmbr. 136. — d Vmbr. 137. — e 1. de gen. t. 17. — f Vmb. 138 — g Vmbr. 139.

graphia coniunctionem *quum* a præpositione *cum* varia scribēdi forma seiungat; tu textum illius corrumpens suam coniunctionem peruertis in tuam præpositionem. Sed quando complures hanc scribendi formulam non curant, iisdem characteribus prępositionem, & coniunctionem *cum* describentes, relinquentesque lectori facilem earum discretionem ex varietate verbi, & ex diuersitate phraseos colligere: tu adeo grammatica polles, vt non discernas hoc in loco præpositionem a coniunctione, stolideque dicas esse præpositionem, quæ vere coniunctio est in Vlysseis dictis: tu non agnoscis particulam *cum*, vbi verbo deseruit, esse vel aduerbium, vel coniunctionem; vt in meo loco: vbi nomini, seu casui, esse præpositionem; & hæc non tenens rudimenta grammaticæ, vis aliorum scripta intelligere, ac interpretari? Sed & in hac tua grammaticali crisi parum grammatice, verbum infinitum non pateris ante se accusatiuum habere, sed illi renuenti nominatiuum affigis, dum ais, *vt in eadem oratione* cum *præpositio duos modos simul postulare velis*: nec Vlysses vnquam voluit in eadem oratione *cum* præpositionem duos modos simul postulare: sed ipse dudum hoc vitium vidit in illa tua oratione, qua dixisti, *h Cum igitur non loquatur alibi de augmento dentium* (qua de re suo loco ac tempore Regulus) *& ibi solos dentes ait omnium ossium accrescere tota vita, innuit*. &c. satis enim constat in eadem oratione, vbi *cum loquatur*, & *ait* te diuersos modos eadem coniunctione *cum* vitiose coniungere; quod quam ridicule nuper obieceris Vlyssi pueri etiam intelligunt. Præterea vero tuam imposturam simul & imperitiam loquendi noscunt in eo, quod particulam in Vlysseo codice *At vero* peruerteris deprauato, vel potius nullo sensu in particulas *Aut vero*. Ad argumentationem veniamus, breuiter (ne Regulus conqueratur de turbata iurisdictione) agam hac de re; concedens enim tibi sic nutritionem respicere conseruationem indiuidui, vt generatio respicit cōseruationem speciei: vtque concedo ex Aristotele generationem prout respicit omnia generabilia vniuersim esse penitus incessabilem; quod loco abste citato vult Aristoteles: Verum tamen non est, atque Aristotelem habet reclamantem dogma, quo statuere quis velit, generationem in singula specie sic esse perennem ac incessabilem, vt oporteat in vnaquaque specie semper obiri continue; nam sufficit esse in potentia; tum quia non solum rosa, quæ hieme actu non est; sed animalia multa, quæ putredinis interuentu exoriuntur; quin & perfectiora; immo vero & homines speciem aliquando habuerunt citra vllum generatio-

h *pag.* 18.

K nis

nis actum, vel saltem habere potuerunt; vt Deucalionis tem-
pore superstites ex clade diluuij duo soli homines non ne fue-
runt in ea specie, in qua tunc nulla fiebat hominis generatio? id
quidem raro contingit in hominibus, frequentius in brutis
sponte nascentibus, frequentissime vero in plantis: Ita nutri-
catio licet in eodem indiuiduo continue fieri concedatur vt plu
rimum; raro tamen intermittitur etiam ad longum tempus.
Sib. Huius solutionis veritatem comprobat Historia sacra, ex
i Genes. 2. qua colligimus, i in duobus primis hominibus a Deo conditis
humanam speciem seruatam fuisse sine actuali generatione per
* l.4. in Ge. c.2 p.187 aliquod tempus; nam vt ait Pererius,* *Statim vt Paradiso eie-
ctus est Adam, cognouit vxorem suam Euam, ex eaque suscepit duos
liberos, priorem quidem Cain, posteriorem autem Abel:* vnde con-
stat toto eo tempore, quo commorati fuerunt in Paradiso,
generationi sobolis operam non dedisse. Nisi forte tu censeas
cum Thalmudistis Adam ante Euam habuisse aliam vxorem
nomine Lilim, ex qua genuerit Dæmones; vt ex Tostato habe-
k Genes. 7. tur. Sed & compertissimum est tempore diluuij vere vniuer-
salis paucos homines in arca clausos totam speciem humanam
in se comprehendisse, in qua non fuit, potuitque non esse gene-
ratio continua. As. Iam alias mihi excute stellulas. Ver. Ad-
l pag. 54. dis l quietem & motũ eodem modo se habere ad tẽpus, quo ad
durationem: vtrumque siquidem pariter longo breuique tem-
pore admetiri potest. (obiter hic m tu grammaticus verbo * ad-
m 3. de his qui d.v.s. a cap. 21. metior deponenti significationem passiuam tribuis) Aristotelis
n decreto. Sed heus tu vide quam vere Aristotelis autoritate
* vmb. 140 vtaris; Philosophus o ibi motum mensurat, vicissim magnitu-
n 4. physic. t. 113. dinem cum motu, aitque *Mensuramus magnitudinem motu, et
motum magnitudine; multam enim dicimus esse viam, si ambulatio
o vmb. 141 multa est; et hanc multam, si via multa sit; & tempus, si motus; et
motum, si tempus.* Sic ille: de quiete autem ne verbum quidem.
As. Adeo delectaris imposturis, vt nunquam non sis falsarius
in Vlyssem; ille siquidem eo loci clare citauit Aristotelis tex-
tum non a te nunc allegatum sub numero 113. Sed alium sub
numero 118. in 4. phys. vbi hæc leguntur, *Quoniam autem tem-
pus mensura motus est; erit & quietis mensura secundum accidens:
omnis enim quies in tempore est: non enim vt quod est in motu ne-
cesse est moueri, sic & quod in tempore: non enim tempus motus est,
sed numerus motus: in numero autem motus potest esse & quiescens:
non enim omne immobile quiescit, sed priuatum motu, aptum autem
natura moueri, sicut dictum est in prioribus. Esse autem in numero
est esse quemdam numerum rei, & mensurari esse ipsius numero, in*

quo

quo est: quare si est in tempore, a tempore. Mensurabit autem tempus id, quod mouetur, & quod quiescit, quatenus hoc quidem mouetur, illud vero quiescit: motum enim ipsorum mensurabit, & quietem, quanta quædam. Hunc locum citauit Vlysses euidentissimis notis in p margine: tu vero qua fronte, & cur falso imponis ab eo citatum alium? an fronte coronata? & quia nil habes quod in eius dictis arguas falsitatis, cogeris imposturis vti? Ad tuam grammaticalem obiectionem parum grammaticam, qua dicis verbo *admetior* deponenti non esse tribuendam significationem passiuam, quod reperis etiam q infra dum ais, VER. Peracto sermone de quantitate caloris, ad qualitatem te conuertis sic, *Qualitas vero caloris eius actiuitate viribusque metitur; vnde iuuenes dicuntur calore maxime pollere*. Hic tuam grammaticam laudo; *qualitas metitur actiuitate*; hoc est, *mensuratur*: sed vbi nam gentium verbum *metior* significationem passiuam habet? certe hactenus inter deponentia, quę terminationem passiuam, constructionem vero actiuam habent, reponebatur: forsitan Rechensis r grãmatice aliter docet. Ad rem medicam accedo. (& mox) *cum enim duplices* (ait Galenus) *actiones in animalibus sint, certe corporales pueri s præcipuas obtinent, quæ animi sunt, ea, quæ a pueris ad remissionem vsque succedit, ætas*. Corporales vocat illas, quæ t naturales appellari solent, vt coctio, nutritio: hæ a calore fiunt: si ergo in pueris præcipuæ, hoc est, u robustiores sunt, calor puerorum actiuitate, & vi præpollet: Actiones animi, seu animales, vt motus & sensus, sunt quidem validiores in alijs a pueritia ætatibus, sed hoc non indicat actiuitatem & vim calorum, verum instrumentorum x siccitatem; genus enim neruosum, & musculosum, quo y animales actiones fiunt, siccitate corroboratur, relaxatur humiditate. Iam igitur habes, caloris qualitatem non mensurari actiuitate, siquidem in pueris maior est caloris actiuitas, quippe actiones ab eorum calore validiores sunt; & tamen pueri quantitate quidem caloris alias superant ætates, qualitate superantur. AS. Tot vmbras in me iecisti, vt non videam a qua discurienda sit exordiendum; grammaticales prius dissoluam. Quod quidem verbo *dimetior* significationem passiuam attribui non videris tum a z Cicerone dicente, *a quo essent illa dimensa, et descripta*: tum a Q. Curtio a scribente, *Ducenis pedestrium stipendium mensum est*: tum a Mercuriali positiuis linguæ scriptore b asserente, *Metiatur quantitas mensura copia exsuperantis*: hoc mihi mirum non est, quod sciam hos autores tibi non esse ad manus. SIB. Quod similiter non approbes significationem passiuam attributam

p 3. de his q.d.s.a.v. cap. 21.
q pag. 203.
r Vmb. 142.
s Vmbr. 143.
t vmb. 144.
u Vmbr. 145.
x Vmbr. 146.
y vmbr. 147.
z lib. de senect.
a lib. 3.
b 1. pract. cap. 10. pag. 40.

c cap. 7. verbo *remetior* ab Euangelistis, Matthæo dicente, *c in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: D. Marco afferente similiter, *d in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: D. Luca pariter scribente, *e Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*: mirum non est: sed summopere miror te non vidisse Prophetam Amos hæc afferentem, *f Et humus tua funiculo metietur*. Tibi ergo interroganti, Vbi nam gentium verbum *metior* significationem passiuam habet? Respondendum est, apud sacros autores tum noui, tum veteris testamenti; nec non apud Ethnicos, & iuniores veros Christianos politioris litteraturæ. As. sed quid tu carpis grammaticam Rechensem, qui neque nomen grammaticæ tenes? quum enim posuisset in tuo scripto typographus *forsitan Rechensis grammatice aliter docet*, tu putans in casu recto non bene dici *grammatice*, ad calcem libri in erratorum emendatione scribis pag. 203. lin. 5. grāmatice. l. grammatica: quasi non æque apud latinos græca forma, & eleganter declinetur grammatice grāmatices, vt forma latina grammatica grammaticæ: & hæc ignorans, quæ pueris notissima sunt, Vlyssem de grammatica vis arguere? verum & illud erratum est non contemnendum, quo ais, *Philosophus ibi motum mensurat, vicissim magnitudinem cum motu*. Quæ vicissitudo nulla est, nisi dicamus, *Philosophus ibi motum mensurat magnitudine*, quam perperam omisisti. Sed veniamus ad rem medicam. Galenum *g* afferentem duplices in animalibus actiones esse, in pueris corporales præcipuas obtineri, eas vero quæ animi sunt, præcipuas esse in ætate succedente vsque ad remissionem; ego libenter accipio, eiusque dictis subscribo, sed tuas explicationes, verius tenebras eius sententijs offusas recipere non possum: In primis Galenus diuidens actiones hominis in corporales, & eas, quæ animi sunt; vt per corporales, non solum intelligit prodeuntes ab anima vegetatrice, quæ naturales appellantur; verum etiam prouenientes a motrice; nam & Aristoteles *h* aperte ponit ambulationem inter actiones corporales: ita per actiones animi Galenus ab actionibus corporalibus cōtradistinctas, intelligit eas, quæ sub cognitionis genere collocantur, sensationes, vt aiunt scholæ, ac intellectiones. Deinde quod ais, coctionem, nutritionem, ac si placet naturales functiones a calore fieri, non nego; nego tamen, quod innuis, atque supponis, actiones animales, speciatimque sensuum functiones non fieri a calore, non fieri a validiori calore, quam naturales; tum quia illæ fiunt in plantis, in quibus hæ fieri nequeunt; quod plantæ præter animæ sensitricis absentiam, tanto

d cap. 4.
e cap. 6.
f cap. 7.
g 6. de san. tu. cap. 2.
h 2. de gen. an. cap. 3.

calore

calore non polleant, quanto est opus ad sentiendum; tum quia bruta imperfectiora quæ semper minus calore pollent, paucioribus donantur sensibus & hebetioribus. Deinceps Galenum dicentem, *corporales actiones pueri præcipuas obtinent*, interpretari *præcipuas, hoc est, robustiores*, est Castrensi more interpretari; non enim comparat ibi Galenus naturales functiones puerorum, cum naturalibus adultiorum, vti tu credis; sed comparat vtramque ætatem ad proposita duo functionum genera; & recte dicit pueros præcipuas sibi obtinere actiones corporales, quia in his præcipue versantur, & hæ illis præcipuæ sunt; quippe qui sensuũ internorum functiones, & actiones intellectus rudes habẽt, & in ijs non ita versantur; nã, vt ait *i* Arist. & § Plato, parum a belluis distantem vitam agentes, nutricationi, & motui, quietis * impatientes, præcipue incumbunt: e contra vero adultiores vsque ad remissionem ætatis præcipuas habent functiones animi, quæ vel ab intellectu, & voluntate, vel a sensu & appetitu proueniunt immediate; meliusque sensu, & intellectu vtuntur, magisque pollent, quam * pueri. Præterea vero per actiones præcipuas intelligere potuit Galenus meliores, ac perfectiores; perfectior autem coctio, nutritioue non est a calore actuosiori, potentiorique; sed a mitiori; tum quia coctio quum *κ* sit elixatio, fit ab humido calore; humor autem calorem hebetat, vt ex aduerso siccitas acuit: tum quia calor actuosior & potentior torret assando, non concoquit elixando. Insuper si motus & sensus in adultioribus, quam in pueris sunt validiores, seu potius a virtute validiori ob instrumentorum siccitatem, quum siccitas sit lima caloris; iam hæ functiones prodeunt a calore acutiore. Addo ridicule dici sensus fieri validiores, seu exquisitiores in adultis non ob caloris acumen, sed ob neruorum & musculorum siccitatem; quasi siccitas non sit lima caloris; quasique sensus olfactus, & phantasia, sensusue communis appellatus, fiat vlla neruorum siccorum ope, vllo musculorum ministerio: id ipsum multo magis dicendum est de actionibus animi præstantioribus ad mentem attinentibus, quas maxime respicit Galenus in loco citato. Sed ad superiora tua sidera reuertamur. VER. *l* Pergis sic, *Vt sine spiritibus viuunt plantæ, suaque vitæ munia exercent, ita sane animalibus ad nutricatum, & longe magis ad vitam spirituum non est opus* (hic tuam *m* grammaticam accuso, *magis non est opus*, dicis pro, *minus est opus*) *quorum opera sensui ac motui plane necessaria est*. As. Vlyssem grammaticam non accusares, si grammaticam didicisses, neque aduerbium *magis* a *vita* ad negationem *non* traheres inuitum.

i 8. *hist. c.* 1
§ 6. *mor. c.* 13.
* 30. *sect. prob.* 13.
§ 2. *de leg.*
* 3. *Eud. cap.* 2.
8. *polit. c.* 6
* 7. *phys. t.* 20.
κ 8. *meteo. cap.* 4.
l pag. 57.
m Vmbr. 148.

uitum. Ceterum tua grammatica, Vlyssea præstantior, quo-
n pag.47. modo scripsit, n tum VER. vnicuique humori suam inesse sero-
k umbr. 149. sitatem Galenus multoties scripsit, sed præcipue quando l ad
l umb.149 Platonem id acceptum refert? AS. quum neque tuum illud *multoties* in bona grammatica reperiam; neque quod Platoni acceptum referri potest, ad Platonem acceptum referri bene
m pag.48. dicatur. tũ VER. Videsne m quot parturijt absurda primũ istud
n Vmb.150 absurdum de calore solidarum partium diuerso a calore spirituum? AS. Omitto nunc solidarum partium, quæ viuentes sunt, diuersum esse necessario calorem, a calore spirituum, qui tuo
o pag.170. decreto in hoc o opere viuentes non sunt (etsi alibi tibi contra-
p L.demet. mic.ca.2. dicenti sint animati p) obseruo solum illius præteriti *parturijt* non haberi veterum testimonia, qui semper dicentes *peperit*, in te iactarunt *Parturient montes* ridiculum murem commentarij Criologiæ: tum. VER. q excitet ad operationes, & ei ad eandem opitul etur. AS. Non video quo relatiua referantur, sed
q pag.49.
r umb.151
s pag.52. *ad easdem* dicendum fuisse puto. tum VER. s Aliquando tantum
t vmb.152 abesse vt febrem concitet, t quin potius febricitandi occasio-
u pag.53. nem adimat. AS. Hic modus loquendi, *tantum abest quin*, ca-
x vmb.153 strensis est, nempe tuus. tum VER. u Cessatio a nutricatione
y pag.63. x ostendi putabam. AS. Redde, si vis hic, & alibi sæpissime,
z pag.164. verbis infinitis accusatiuum, nempe suum casum. Hæc euitasses, si Rechensem grammaticam didicisses. At sequere stellulas afferre. VER. y In primus ergo contradictionem pessimam,
a pag.184.
b vmbr. 154.
c umb.155 quæ in tuis istis Bacchanalibus reperitur, corrigito, nam semel
d vmb.156 ais, z *Ligatis aut sectis arterijs, & neruis ad illud membrum tendentibus, non propterea vitam illius partis extingui, sed etiam viuere sine spiritibus, licet sensu motuque priuentur*. Iterum vero alibi sic, a *Qui diutius absque suscepto nutrimento permanere possunt homines in vita, illi eidem* (diceres potius b ijdem, si grammaticis tyrocinijs fuisses initiatus) *breui moriuntur, si vitali spiritu a corde sibi per arterias communicato prorsus destituantur: etenim spiritu illo nititur calor influens, sine quo diu superesse nequit calor fixus cuique particulæ*. Vah quam impudens est ista c contradictio? ex vna parte, sectis neruis, & arterijs possunt animalia viuere sine spiritibus, ex altera breui moriuntur, si vitali spiritu a corde per arterias communicato destituantur. Denique semel dixisti, spiritus non esse necessarios ad vitam; iterum dixisti, spiritu illo nititur calor influens, sine quo diu superesse nequit calor fixus cuique particulæ, ad cuius caloris implantati fixi-
d umb.157. que defectum homo moritur. Si in spiritu consistit calor influens, in calore d influente fixus, in fixo vita, quomodo spiritus

non

non est necessarius ad vitam? Gordius est hic nodus: dicam cum Ausonio, *Ocyus illa iugi fatalis soluere lora, Pellaeum potuisse ducem* &c. Tu facito Pellaei ducis modo: ne soluito, sed rumpito. As. Minime vero, sed facillime soluam, paucis verbis asserens, spiritum esse quidem necessarium ad vitam diuturnam, at non ad vitam simpliciter; & sine spiritibus diu viui non posse, aliquandiu tamen viui posse; quare contradictio nulla prorsus est asserentis Vlyssis, [e] sine spiritibus influentibus viui posse; sine spiritu influente diu viui non posse, sed breui mortem obrepere. Contradictio fuisset, mi Veruex, si dixisset, sine spiritu influente diu viui posse, sine spiritu influente diu viui non posse; vel sine spiritu influente viui posse, sine spiritu influente viui non posse: quare illa particula *diu* in affirmatione non posita, in negatione posita, liberat Vlyssem a contradictione, ac te ponit inter sophistas importunos, obseruatione [g] Aristotelis asserentis. *Et sit hoc contradictio, affirmatio, & negatio opposita. Dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem aequiuoce, & quaecunque cetera talium contra sophisticas determinauimus importunitates*: in proposito enim affirmatur necessitas spiritus influentis de vita diuturna, negatur autem de vita simpliciter, non de vita diuturna. Deinde vero calorem fixum in influente cōsistere falsum prorsus est; quia fixus absque influente consistere potest aliquandiu; quod ligatis arterijs comprobatur. Deinceps autem tuum illud grammaticae tyrocinium non est, sed mera grammatices ignorantia; tum quia tu nominatiuum pluralis numeri *eidem* inepte reijcis, quem tamen [h] Priscianus, alijque recipiūt: audi Priscianum, *Itaque regula exigit per duas i, vel per e & i nominatiuum pluralem masculini, quam datiuos, & ablatiuos omnium plurales scribi. idest ijdem, vel eidem; & ijsdem, vel eisdem.* tum quia quum loquatur Vlysses, ibi de sensu sententię Galeni, vtitur *eidem* datiuo singulari ad Galenum indicandum, quasi diceret, illi homines eidē Galeno breui moriuntur, si &c. Sed oro te, quibus tyrocinijs grammatices initiatus est ille, qui tecum scribit, [i] *eadem erit ratio de toto* [k] *animale? &, quod ad brachium* [l] *istum accedit?* nullis profecto: disce nomina declinare: & nomina neutra in *al* ablatiuum habere in i, non in e, tibique dicendum fuisse *de toto animali*: quid obsecro tam acerbo prosequeris odio tertiam vocalem, vt semper eam depellas e loco proprio, intrusa in eius sedem secunda? disce quoque nominū genera, qui quas vocant concordantias ignoras; *brachium* generis est neutri, & *istud* addendum erat. Ver. Pergis [n] vlterius sic, *Effectricem vero, de qua nunc loqueris, geminam, quarum*

vnam

e Fer. nem. p. 164.
f ibid. pag. 184.
g l. periher. cap. 4.
h lib. 12.
i pag. 62.
k vmb. 157
l ibid.
m vmbr. 158.
n pag. 64.

vnam ostendi esse virium caloris & humoris aequalitatem, non ob
o Vmb. 159 *quam vterque simpliciter ociatur,* o *& mihi perperam adscribis; at*
p Vmb. 160 *ob* p *quam neuter alterum superet, ac destruat; nam vtrumque comparaui duobus athletis aequales vires habentibus, qui diu colluctantes, ambo fatigantur, sed nemo alium superat.* Alterum debueras
q Vmbr. 161. dicere, o grammatice, non q *alium*; nam alterum dicimus de duobus, alium de pluribus. Porro effectrix causa apud te est
r Vmb. 162 aequalitas, sed aequalitas relatio est: poteris ne efficere, vt r relatio efficiendi vim habeat? si hoc posses, adeo potens esses, vt tibi cederet natura rerum. Sed quid efficit tua isthaec caussa
s Vmb. 163. s efficiens? prorsus nihil: nam si efficit abstinentiam, abstinen-
t Vmb. 164 tia t priuatio est, & subinde u nihil: si priuatio est, non x fit, sed
u Vmb. 165 resultat. As. Ab his postremis ad superiores vmbras discutien-
x Vmb. 166 das gradatim ascendam. Aristoteles in primis aperte docet priuationem fieri, & corrumpi, dum ait, y *Quibusdam autem accidit contrarium (loquitur de priuatione) appetere suam ipsius corruptionem*; Platoni namque materiam a priuatione non distinguenti, & a materia formam priuationi contrariam appeti constituenti, supponens duo contraria simul esse non posse in eodem subiecto, sed eorum vnum ab altero corrumpi; obijcit priuationem appetituram sui corruptionem; qui vero ponit priuationem corrumpi posse, is eamdem fieri posse supponit, nam
z 1. cael. t. 121. & seqq. alibi z fuse confirmat omne corruptibile esse generabile. Sed paullo post euidentius Aristoteles ait priuationem fieri, & corrumpi, dicens, a *Corrumpitur autem & fit, est quidem vt sic, est autem vt non; quatenus enim est id in quo, secundum se corrumpitur; quod enim corrumpitur in hoc, est priuatio.* Si corrumpitur, necessario prius facta fuit. Ceterum priuatio fit & corrumpitur, quatenus est reipsa forma praecedens, quae dicitur priuatio in relatione ad formam introducendam, siue mauis educendam sibi contrariam. Quod praeterea dicis priuationem esse nihil, id
b 1. phys. t. 75. & seq. exsibilant Peripatetici, qui cum b Aristotele statuunt generabilia cuncta fieri non ex nihilo, sed ex priuatione: & priuationem
c 2. physic. t. 15. esse c formam quodam modo; & esse in eodem genere d substantiae cum forma sibi contraria: tu vero, qui priuationem esse nihil contendis, quum caecitas, & mors inter priuationes habeantur, si caecus fieres, ac necareris, nihil omnino patereris. Quod insuper asseris, abstinentiam esse priuationem, hoc tibi non dabimus ita gratis; nam proprie abstinentia est viuere seu vita mortalis sine vsu alimenti; hoc autem positiuum quid est: Quare falso quoque statuis aequalitatem virium caloris & humoris propositam ab Vlysse caussam abstinentiae, nihil prorsus

y 1. physic. t. 81. — a 1. physic. t. 82. — d 1. physic. t. 50. 56.

ſus efficere; ſiquidem efficiens vitam mortalem alimento non vtentem, aliquid efficit poſitiuum. Illam autem vmbram orthographiæ, in qua ponis *efficens*, pro *efficiens*, corrigere debuiſſes in erratorum emendatione, ſi eam vidiſſes, aut nouiſſes. At quod ais, relationem non habere vim efficiendi, facile diluitur; nam etſi relatio logica vi caret effectrice; relatio tamen phyſica, quæ ſemper in concreto ſumitur a naturali philoſopho, ſemper omnia vt e ſimum conſiderante, ac nunquam a materia abſtrahente; relatio inquam phyſica vim habet agendi vel Ariſtotelis decreto; non ne contrarietas relatio eſt, perinde ac æqualitas? contrarietati tamen Ariſtoteles vim dedit agendi, dum ait, *f Si autem quatuor exiſtentibus duæ erunt contrarietates, oportebit ſeorſum ab vtraque eſſe alteram quamdam naturã mediam: ſi autem ex ſeinuicem poſſint generare; ocioſa vtique altera contrarietatum erit*, &c. Quod ais præterea, æqualitatem eſſe relationem, Vlyſſeis dictis non obſtat; quod ille cauſſam effectricem vitæ mortalis abſque nutrimento poſuerit, non æqualitatem in abſtracto, quæ logica eſt, inefficax; ſed æqualitatem virium caloris & humoris in concreto, quæ phyſica eſt, & efficax; nam apud Phyſiologos, & Medicos, qui ſapiunt, idem eſt æqualitas virium caloris & humoris, ac æqualis virtus caloris & humoris; cui æqualitati vim agendi tribuere, non eſt naturam rerum ſuperare, ſed ſequi, & explicare. Sed vltimo loco grammaticalis vmbra tua, qua negas de duobus *alium* dici poſſe, ſed *alterum* dici debere, diſcutit Saluſtius, qui de duobus, Cæſare, & Catone ſermonem habens, g ait, *Sed, mea memoria, ingenti virtute, diuerſis moribus fuere duo viri, M. Cato, & C. Cæſar: quos quoniam res obtulerat, ſilentio præterire, non fuit conſilium, quin vtriuſque naturam & mores, quantum ingenio poſſem, aperirem. Igitur his genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par, item gloria: Sed alia alij. Cæſar beneficijs, ac munificentia magnus habebatur: integritate vitæ Cato. ille manſuetudine, & miſericordia clarus factus: huic ſeueritas dignitatem addiderat*. Sed quid alios affero? tuipſe de duobus agens Aſitiaſtes, de Coſtæo, inquam & Mercuriali, dicis, * *Iſte aquam nutriendi vim concedit, quam alius vino denegat*. hinc aperte conſtat obſeruationes grammaticales in hoc opere non eſſe tuas, ſed ab aliquo pędagogo diobolario tibi traditas; non enim hic eam grammaticam improbares, qua vſus es non ita pridem in libello de Aſitia. Sib. Si apud te vim probationis haberet Euangeliſtarum autoritas, afferrem teſtimonia tum D. Marci, cui *Et i cum eo crucifigunt duos latrones: vnum a dextris, & aliũ* i cap. 15.

e 2. phyſi. t. 18. 19.

f 1. phyſic. t. 56.

g in con. Catil.

* cap. 5.

 aſi-

k cap.20. *a sinistris eius*: tum D. Ioannis, apud quem, k *Exijt ergo Petrus, et ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul; et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum*. As. Horum itaque grammaticam secutus Vlysses *alium* vni contraponere potuit agens de duobus: atuero tu quos bonos grammaticos sequeris, dum
l pag. 65. ais l paullo post, *aio calorem esse ociosum: siquidem ociosum* m *est*
m umbr. *in care, de qua ago* &c? hic admonitus posses resipiscere, sed nul-
167. lam tibi latine loquendi, & scribendi consuetudinem ostendis inesse: *calor ociosus*, dici debuit. Profer alias tuas nebulosas.
n pag.78. Ver. Sed tu n ne vnquam recte procedas, ais sensus esse *in iudicio promendo de præsentibus obiectis agentia non libera, sed ex necessitate naturæ*. Prætereo hic tuam grammaticam, qua dicis
o umbr. sensus o esse *ex necessitate naturæ*, & ad Philosophiam accedo.
168. Sensus pertinent ad facultatem animalem, ergo ad p liberam:
p umbr. sed te ignis fefellit, cuius ardorem, si præsens sit, tactus nequit
169. non sentire, & auditus magnum sonum præsentem non potest
• non audire. Citas in hanc rem Aristotelem, sed sæpius in te annotaui, quod quando per fraudem autorem aliquem citas, eius
q umbr. verba q subtices, alias mo'estus r es transcriptor. Sunt autem
170. hæc (nam in t.59. quem tu etiam citas, s nihil reperitur, quod
r umbr. ad rem faciat) *Vnde intelligere in ipso est, cum vult, sentire autem*
171. *non est in ipso, necessarium est enim esse sensibile*. Hæc verba primo
s umbr. aspectu videntur tibi fauere, sed bene considerata nihil minus
172. præstant, quam in tuum fauorē aliquid ostendere. Dixit prius,
t umbr. singularium t esse sensus, scientiam autem vniuersalium, adiun-
173. git post modo, *Vnde intelligere in ipsa* u [scilicet anima] est, cum
u umbr. vult; quia scilicet versatur circa vniuersalia, quæ non habent
174. x existentiam, qua y necessitent intellectum ad intelligendum:
x umbr. *sentire autem* z *est in ipso* [scilicet obiecto] & propterea addit,
175. *necessarium est enim esse sensibile*, hoc est, sensus expostulat sensi-
y umbr. bile existens, nempe sensus z externus. Promisi, me ostensurum
176. hæc verba contra te facere: id præsto libenter: dicit Aristoteles,
z umbr. Necessarium est esse sensibile, collige tu hinc intelligere c non
177. est necessarium esse: & ego colligam, ergo intellectus operatur
c umbr.
179. in d absentia e passiui, & colligent omnes, male te dixisse tam
d umbr. agens liberum, quam naturale requirere f præsentiam passiui.
180. As. Discussurus has vmbras ab vltima scandam ad superiores.
e umbr. In primis quod ais male dici, agens tam liberum, quam natura-
181. le, requirere præsentiam passiui, id tu pessime ais; quia si pa-
f umbr. tiens præsens non sit, agens non aget; actio siquidem non fit
182. in distans, sed per contactum; nisi enim vniatur agens patien-
ti.

ti; nec hoc ab illo patietur, nec illud in hoc aget. Sed te decepit, quod non agnoscis præsentiam esse duplicem, aut per simulacrum, aut per simulacrum simul & rem; agens liberū, vt intellectus, phantasia, & voluntas, ad hoc vt agat, sat habet habere sibi præsens obiectum per simulacrum, nec necessario postulat præsentiam rei; nam etiam corrupta re, dummodo seruent sibi pręsentem imaginem rei antea perceptæ, possunt ad libitum circa rem absentem operari; quia imago præsens rem representat: sed agens naturale non potest operari ad libitum, quia re absente non conseruat sibi præsens vllum rei simulacrum, quod rem ipsam representet; siue hoc agens naturale agat cum cognitione, vt sensus externus, & internorum sensus communis appellatus; siue sine cognitione, vt calor natiuus, & alia. Vnde male colligis intellectum operari in absentia passiui, intellectus enim dum operatur, præsens habet intelligibile in sui simulacro ipsum representante. Perperamque colligere te putas ex Aristotele, non esse necessarium intelligibile esse, si debeat fieri intellectio, ex eo quod asseruit necessarium esse sensibile esse, si debeat fieri sensus operatio: nam vtrobique præsens esse debet obiectum; sed Aristoteles admonet, obiecta intelligibilia non oportere esse præsentia extra animā; sat esse, si præsentia sint in anima, in qua vel ijs corruptis conseruantur eorum simulacra: sed quia non similiter in sensibus externis, & in sensu communi seruātur obiectorum absentium imagines; ideo statuit, sensuum horum operationem haud fieri nisi præsentibus obiectis externis. Quod præterea corrigis errātum verbi intelligere mutans in nomen intelligibile, id tua grammatica præstare nequit non errans dupliciter, quum enim Characterem mutato scribere debuisses, nec aspirasti primam, nec masculum genus nominis agnouisti, vitium tibi frequentissimum. Præterea Philosophum comparantem intellectum cum sensu simpliciter in eo, quod intellectui adoperandum non opus sit præsentia obiecti externi, quod sibi sufficiat habere quomodocumque illud in anima mediante simulacro; sensui vero sit opus externo sensibili præsente; tu male restringis ad sensus externos; nam sensus communis exigit obiecta externa præsentia, dum animaduertit functiones aliorum sensuum, quæ g non obeuntur nisi habeant externa sensibilia præsentia: Quin & altera functio sensus communis, qua ponit h discrimen inter obiecta diuersi generis, agnoscens dulce non esse album, exigit obiecta dulcis & albi externa præsentia, inter quę ponit discrimen animaduertens diuersa ratione visum moueri ab albo, & gustum a dulci. De phantasia longe di-

g *2. de an. t. 136. & seqq.*
h *2. de an. t. 144. & seqq.*

uersa ratio est, quia hæc in se conseruat imagines obiectorum sub habitu memoriæ; proindeque non requirit obiecta præsentia extra animam: Quoniam vero non adhuc determinauerat Aristoteles, num phantasia pertineret ad sensus, an ad intellectum; & videbat plurimos antiquorum eam intellectus nomine, cum quo maximam habet necessitudinem, appellare; propterea sicut infra non renuit eam vocare nomine i intellectus; ita nunc eam inter sensus, de quibus nulla est dubitatio, minime comprehendit; immo vero eius considerationem aggreditur k infra post epilogum propositum in calce tractationis de sensu his notis, l *De principio igitur, secundum quod dicimus animal sensitiuum esse, determinatum sit hoc modo*: hinc aggreditur inuestigare naturā & operationes imaginationis. Deinceps autem quod Aristotelis dogma dicentis, *sentire autem est in ipso*, explices *in ipso* [scilicet obiecto] maximam hoc ostendit ingenij tui subtilitatem, quam non capit Aristoteles; nam ad illud *ipsum* refertur *sentire* erga sua principia; ad quod *ipsum* proportionaliter refertur *intelligere* erga propria principia; quum autem dicens Aristoteles, *vnde intelligere in ipso est, quum vult; sentire autem non est in ipso; necessarium est enim esse sensibile*: quumque intelligere dicatur esse in ipso, cui inest voluntatis actio; hæc autem non insit in obiecto intelligibili, sed in ipso principio intellectiuo; iam tyrones in Philosophia poterunt intelligere Magistrum hoc loco statuere τὸ sentire esse in ipso principio sensitiuo, non autem in obiecto sensibili: cuius propterea meminit, addens, *necessarium est enim esse sensibile*, non vt in eo sit τὸ sentire, sed vt sensus ab eo præsente hauriat imagines, per quas de sensibili iudicium formare valeat; sine simulacris enim illis non potest sentire sensus; ea vero sensus in se non habet nisi sensibili præsente. Deinde rident hanc tuam explicationem plenis buccis omnes Peripatetici, qui apud Aristotelem vident actum sentiendi poni procul ab obiecto exteriori in organo interiori sensus, subscribentes Aristoteli tum l sæpe decernenti sensibile positum supra sensum impedire actū sentiendi: tum reprehendenti Democritum his dictis, m *Democritus autem, quod quidem aquam esse dicit, bene dicit: quod autem putat ipsum videre esse ipsam imaginem, non bene: hoc enim accidit, quoniam oculus leuis est: & est, non illo, sed in vidente.* tibi vero male id hic statueret Aristoteles, sibique contradiceret antea ponenti *sentire esse in ipso* sensibili; nunc τὸ *videre* ponens non in illo, sed in vidente. tum apertissime dicenti, n *Quorum vero non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet*

i 3. de an. t. 48.
k 2. de an. t. 150.
l 2. de an. t. 149.
l 2. de an. t. 75. 114. & seqq.
m de sensu & sen. cap. 2.
n 9. meta. t. 16.

ſiſmet actio eſt, vt viſio in vidente, & ſpeculatio in ſpeculante, & vita in anima. Quod vlterius addis obiecta vniuerſalia non neceſſitare intellectum ad intelligendum, dogma eſt illuſtre verbo illo tuo *neceſſitare*; quod latine loquentes reponunt ad vſus neceſſarios grammaticæ pondus inteſtinorum deponẽtis. Philoſophi tamen in eo verbo, quod intelligibilibus negas ad ſenſibilium differentiam, agnoſcunt negari libertatem facultati ſenſitrici contra tuam opinionem, etenim quod neceſſario impellitur ad agendum, ſiue quod neceſſitatur (vt ais tu) ad agendum, liberum agens non eſt; libera namque agentia cogi non poſſunt. Inſuper quod ais, vniuerſalia non habere exiſtentiam, qua neceſſitent intellectum ad intelligendum, theorema eſt mere Caſtrenſe, ſiue potius Caſtronienſe, quod nec a Peripato venit, nec ab vlla philoſophia; nam actio ſequitur eſſentiam, nõ exiſtentiam rei; vt ſimulacra intelligibilium obiectorum in anima repreſentant quidem eorum eſſentiam in rebus indiuiduis participatam; non autem repreſentant illorum exiſtẽtiam in indiuiduis; quia vniuerſalis imaginem habere poteſt quilibet in anima oblitus eorum indiuiduorum, ex quibus talis vniuerſalis imaginem collegit: ſed eſt eſſentia obiecti repreſentati per ſimulacrum, quæ mouet intellectum, ipſumque ſuſcitat ad intelligendum. Nec exiſtentia imaginis illa formaliter eſt, quæ mouet intellectum ad operandum, quia talis exiſtentia ſimulacro conuenit, quatenus eſt purum putum accidens inexiſtens in mente velut in ſubiecto, ſed ſpecies non mouet intellectum quatenus accidens eſt, at quatenus obiecti repreſentatiua; quare quod proprie, per ſe, ac formaliter excitat intellectum ad operandum, nihil eſt aliud quam eſſentia obiecti realis repreſentata per imaginem eius exiſtentem in ipſa mente. Quod autem dicis, Ariſtotelem adiungere, *Vnde intelligere in ipſa* [ſcilicet anima] *eſt cum vult*, eſt mera corruptio textus Ariſtotelici; quem vitiaſti peruertens verbum maſculum Ariſtotelis *ipſo*, in tuam particulam femineam *ipſa*; cur id feciſti, qui paullo ſupra ſine vitio textum Ariſtotelis attuleras? nimirum vt locum dares tuæ interpretationi *in anima*: ſed ſi græce ſcires, nouiſſes Ariſtotelem dicere *ἐν αὐτῷ in ipſo* ſcilicet intelligente ſeu principio, ſeu homine, non *ἐν αὐτῇ in ipſa*, vti tu ſcribis. Quod etiam ais, Ariſtotelem dixiſſe prius, ſingularium eſſe ſenſus, non caret vmbra montis Athonis; etenim quum græce legatur *αἴσθησις*, ſi ſenſus nomen tibi ſit ſingularis, vt Ariſtoteli, more tuo Priſcianum verberas, dũ verbo infinito *eſſe* loco quarti caſus inuiſum ſibi primum attribuis; ſi vero pluralis, textum Ariſt. corrumpis.

pis. Quod insuper obijcis in textu 59. ab Vlysse citato nihil reperiri, quòd ad rem faciat, id facile discutitur, quia res, quam agimus, nulla est alia nisi discrimen inter intellectum, & sensum; quod illum Vlysses dicit esse agens omnino liberum; hunc non item; quam differentiam explicans Aristoteles in tex. 60. quum in 59. proposuerit fundamentum, vnde colligitur ex parte sensus; quod complet in tex. 60. ex parte intellectus; id vero fundamentum est discrimen obiectorum mouentium vtramque facultatem ad operationem; nam sensus mouetur ab externis sensibilibus, intellectus ab internis intelligibilibus: de his in 60. de illis agit in 59. Dicens, *o Quum autem generatum est sensitiuum, habet iam sicut scientiam, & ipsum sentire: differt autem, quia huiusmodi actiua operationis extra sunt, visibile, & audibile, similiter autem & reliqua sensibilium*: hæc in tex. 59. Addit in tex. 60. immediate, *Caussa autem, quoniam singularium quidem secundum actum sensus, scientia autem vniuersalium: hæc autem in ipsa quodammodo sunt anima: vnde intelligere in ipso est, quum vult, sentire autem non est in ipso: necessarium est enim esse sensibile.* Quare cæcus est animo, qui non videt in hisce duobus contextibus ab Aristotele tractari rem prorsus eamdem; quique non percipit, ea quę tractantur in tex. 59. maxime pertinere ad tractata in sexagesimo. Quod insuper ais Vlyssem alias esse molestum transcriptorem, eadem facilitate dissoluitur; quia non transcribit ea, quæ cuique notissima sunt, & per se clara; sed vbi subest aliqua difficultas, & controuesia; & vbi sententia non ita est ad manus vnicuique, diligentiam adhibens in ea transcribenda, & ob oculos Lectori ponenda, molestus non est nisi illis, qui sentiunt se perfodi a veritate proposita; qua deberent perfrui, & hilarari; nam Aristotele doctore, *p Rectius esse, & oportere videtur, vt pro veritatis salute vnusquisque, et præsertim philosophi sua quoque propria refutarent: nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere.* Sed temperare vis Vlyssem ab vlteriori transcriptione verorum dogmatum, ne tibi molestus sit? tibi certe hac in re non obtemperabit. Quod ais, Vlyssem subticere verba autoris, quando per fraudem eum citat, idque te sæpius annotasse; simplici negatione tollitur, nam & tu id simplici ponis affirmatione; quando peruenient ad manus tuæ crebriores illæ notationes, facile demonstrabitur eas esse falsas imposturas. Quod vlterius colligis sensus esse liberos, quod attineant ad facultatem animalem, quæ libera est; non multo negocio diluitur; etenim facultas animalis apud Medicos gemina reperitur; vna quidem quæ functio-

o 2. de an. t. 59.

p 1. ethic. cap. 6.

pes

nes habens arbitrarias liberum est agens, cuiusmodi est voluntas, intellectus, & appetitus sensitiuus: altera vero, quæ functiones non habet arbitrarias, & ad nutum; cuiusmodi est facultas sensitiua cognitrix infra phantasiam, & si placet, externis sensibus addicta: mihi non credis? en adduco Galenum hāc distinctionem facultatis animalis in liberam, & non liberam promulgantem, ait enim, q *Rationem igitur caussæ & artificis obtinent ipsa, quæ in nobis sunt, facultates; quarum aliæ naturales, aliæ animales existunt: atque naturales quidem citra nostram electionem vniuersa agunt; ex animalibus vero actionibus plurima* (nota eum non dicere, omnes) *secundum nostram voluntatem perficiuntur: ita vt si quid opus est animale, id non omnino secundum nostram voluntatem sit: si vero aliquid secundum nostram voluntatem fiat, id omnino sane facultatis animalis fuerit*. Certe me tibi molestum transcriptorem sentio, dum affero Galenum dicentem, *Si quid opus est animale, id non omnino secundum nostram voluntatem sit*; eum affero, qui tuam illam vmbratilem consequentiam tollit, qua dicebas, *Sensus pertinent ad facultatem animalem, ergo ad liberam.* Quam consequentiam etiam tibi negat Aristoteles in allato r contextu dicens differre intellectiuū principium a sensitiuo, quod in ipso intelligere est, quum vult, *sentire autem non est in ipso*. Sed Galeni dogma te penitus conuellit. Quin ex ore tuo redargutionem tui colligere possum; nōne pulcra elegantia dixisti, intellectum ad sensus differentiam intelligere ad libitum, quia versatur circa vniuersalia, *quæ non habent existentiam, quæ necessitent ipsum ad intelligendum*? ergo tibi sensus ab obiecto præsente necessitabitur ad sentiendum, adeoque non erit agens liberum, si non poterit non sentire. Quod autem inquis te præterire Grammaticam Vlyssis, qua dicit sensus esse ex necessitate naturæ; caue ne in hoc, vt in multis alijs tuis criticis te prętereat omnis grāmatica; tu enim non intelligis verba illa ex necessitate naturæ non esse referenda ad sensus, sed ad agentia; dicens enim Vlysses, *Sunt autem sensus in promendo iudicio de præsentibus obiectis agentia non libera, sed ex necessitate naturæ;* quorum constructio planissima tibi scabra visa est: an fortassis tibi non sapit grammaticam, dicere, sensus sunt agentia ex necessitate naturæ? tibi non erit ergo Cicero, nec Seneca bonus grammaticus; qui simili prorsus locutione vtuntur; ille namque dicit, *ex dignitate*, id est, pro dignitate; hic autem ait s *ex Consuetudine*, id est, secundum consuetudinem; ita Vlyssi agens ex necessitate naturæ, hoc est pro necessitate naturæ, vel secundum necessitatem naturæ: consimili

q *de voc. instr. dissect. cap. 2*

r *2. de an. t. 60.*

s *1. de cons. ad Mar.*

mili quoque ac fere eadem locutione vtitur Ariſtoteles, dum
t 1. phyſi. t. 87. ait, t *Quod autem ex neceſſitate eſt, vtrum ex ſuppoſitione ſit, an non & ſimpliciter; nunc enim opinamur, quod ex neceſſitate eſt, eſſe in generatione; quemadmodum ſi aliquis murum ex neceſſitate exiſtimaret eſſe factum.* &c. præteribis ne grammaticam Ariſtotelis? certe ſepiſſime teipſum præterit omnis recta grammatica,
u pag. 79. tum dicentem, u *tunc dicis ſonus* x *exiguus non audiri*: quum tu
x vmb. 183. non audias verba infinita toties tibi reclamantia, poſtulantiaque a te caſum accuſatiuum, reſpuereque tuum odioſum no-
y pag. 83. minatiuum: tum aſſerẽtem, y *adeo vt adhuc* z *deperditur pulſatio*:
z vmbr. 184. qui enim partes orationis diſtinguere neſcis, quomodo earum inter ſe nexum, colligandique rationem teneas? *adeo vt* coniunctiuum modum poſtulat. Sed ad tuas perge nebuloſas. VER.
a pag. 96. a Quandoquidem ais, *Nexum corporis, & animæ conſiſtere in eſſentiali propenſione, quam habet tum corpus organicum ad vitam, tum anima ad corpus naturale organicum viuificandum.* Vtinam non reſpondiſſes, neque enim cachinnos excitaſses: quippe ex tua hac reſponſione duo ſequuntur, quæ ne comicus quidem
b vmbr. 185. b ſcurriliter diceret: vnum eſt cadauer, quod corpus eſt c organicum, habere d propenſionem ad vitam: alterum, animam
c vmbr. 186. ſeparatam eſse ſimul, & nexam, & ſolutam: nexam, quia habens e propenſionem habet, ex tua ſententia, nexum. ſolutam,
d vmbr. 187. quia eſt ſeparata. f Improbras, quod dixerim, Ariſtotelem, qui mortem dixit eſse caloris extinctionem, dicturum vitam eſse
e vmbr. 188. caloris durationem. Prodit *S*atyrus in ſcenam, atque in me ſic
f vmbr. 189. inuehitur. *Tu mihi confundis vitam cum nexu corporis, & animæ, quæ duo diſtinctiſſimam prorſus naturam habent, & Ariſtotelis*
g vmbr. 190. *autoritate prorſus abuteris in loco non* g *opportuno*. Ego cæpi circunſpicere an aliquis eſſet error, dum ſententiam Ariſtotelis
h vmbr. 191. attuli, vt ex oppoſitis argumentum conficerem: in hoc mihi orthographia h ſuccurrit inquiens, mihi rem eſſe cum idiota,
i vmbr. 192. qui i opportunitati litteram vnam eſt ſuffuratus. As. Iberus furem appellat Italum? Rapinis ſeruire te teſtatur k Iuſtinus,
k lib. 44. Furem eſſe te conteſtatur Virgilius, apud quem
l 3. Geor. l *Nec tibi cura canum fuerit poſtrema, ſed vna*
Veloces Spartæ catulos, acremque Moloſſum
Paſce ſero pingui: nunquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſusque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.

Sed ſi velis cum erudito de la Cerda, gloriæ datum Iberis eſſe prædones, cur Iberus tu mihi vitio vertis furari litteras? Quod autem eruditiſſimus de la Cerda ſcribit dum ait, Volo etiam

notet

notet Lector, Virgilium furantis Caci historiam adduxisse ex peruagata opinione, quam lib. 7. Legum attingit Plato de Italia furtis & latrocinijs obnoxia. Verba Philosophi, *καί τι τῶν λεγομένων περιδίνων τῶν περὶ τὴν ἰταλίαν γιγνομένων παντοδαπὰ κλοπῶν ἔργα τε, καὶ παθήματα. Piratarum quoque furta, & latrocinia, quæ maxime in Italia abundant, hinc oriuntur.* Quæ ego verba contra te, o Maro. Hæc si de tuis Italis animaduerteres, non Hispanos *impacatos* diceres ob latrocinia. Et quidem *περὶ τὴν γῆν*, pro *ἐν τῇ γῇ* dici græce certissimum est: ne quis dicat, notari a Platone, non Italiam, sed loca alia, quæ circa illam. Et quidem rem Platonis probant hodie Italici Asasini. Hoc inquã a cl. v. dictum tribuendum est zelo, quo naturali quodam instinctu quisque affectus est erga Patriam; qua ratione mihi liceat Italo Italiam ab hac nota purgare. Primum ego in 7. de Legibus citato ad finem vbi Plato tractat ex professo de piratica, & latrocinijs, non inuenio propositam sententiam de Italia. Deinde vbicumque eam Plato scripserit, proprietas vocum & phrasis aperte satis ostendit, notari loca circa Italiam, non autem Italiam ipsam. Deinceps *περὶ τὴν γῆν*, dici posse pro *ἐν τῇ γῇ* (vt hoc disputationi concedam) id rarissimum est; & probare tenebatur v. cl. Platonis propositionem hunc sensum habere, non gratis assumere. Denique vero dicat, & vere dicat Plato, in Italia maxime abundare furta & latrocinia, seu Italiam maxime obnoxiam esse furtis, & latrocinijs; id quidem non est dicere Italos esse fures; nam obnoxia est Italia furtis & latrociniis, quæ non Itali, sed in Italos aduenæ perpetrare consueuerunt. At vsque adeo abhorrent Itali furta, & absunt a patrocinijs, vt Herculi Aram Maximã, & in ea sacrificia instituerint, quod Cacum Latrocinijs Italos infestantem interfecerit.

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem Vir. 6. Aen.
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra reuulsis.
Abstractaque boues, abiurataque rapinæ
Cœlo ostenduntur: pedibusque informe cadauer
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque extinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Seruauere diem: primusque Potitius autor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,
Hinc aram luco statuit: quæ Maxima semper

M Di-

Dicetur, nobis et erit quæ Maxima semper.

Nec reticebo piraticam Italos olim exercuisse, quum laudi habebatur ceu proprius effectus fortitudinis; at desijsse tale genus vitæ in Italia, posteaquam legibus decretum est esse vitiũ. At vero tua illa orthographia veterũ & bonam mihi non sapit Orthographiam: consule deductam apud Aldũ ex Festo & lapidum antiquis inscriptionibus, & videbis Vlyssem nullam omnino litteram opportunitati suffuratum: teque importune geminasse in opportunitate litteras. Ceterum tuæ orthogra-
m pag. 79. phiæ an adhærendum sit, indicat verbum *m reperijsses*, cui per-
n vmbr. petam duplicas n nonam figuram; & illa tua *o glutem*, pro glu-
193. ten: *substuli*, pro sustuli, *q porrho*, pro porro. *improbras*, pro
o pag. 89. improbas: & alia id generis. Tua vero semper pessima ortho-
vmbr. graphia non meliori latinitati iungitur, dum tibi *succurrit*, quę
194. tibi occurrit; nullas enim suppetias occursu suo tibi attulit: im-
p pag. 105. mo in opportunitate tua duplicem tibi notam inussit, dum
vmbr. Vlyssea verba referens inuisam in ijs vocem *opportuno* ponis pro
195. oportuno; & referens Vlyssem dixisse *opportuno*, arguis eum de
q pag. 133. furto litterulæ. Quod autem ais, animam separatam habere
vmbr. propensionem ad corpus viuificandum, si de naturali propen-
196. sione loquaris; iam hoc demonstrauit alibi r Satyrus mysticus
r de var. esse falsum: si de non naturali, hoc nihil ad rem. Quod ais, ca-
prop. an. dauer non habere propensionem ad vitam, si de vita simplici-
rat. ter loquaris, id falsum est; quum ex cadauere vermes, apes, & alia nascantur animantia, proindeque cadauer secundum suas partes plurimas habet propensionem ad nouam vitam: si de vita pristina sermo sit, falso dicis cadauer esse corpus organi-
s 2. de an. cum; tum quia corpus organicum s Aristoteli est id, cuius ani-
t. 6. 7. ma est actus: tum quia eidem quum corpus organicum sit illud corpus potentia vitam habens, quod in animæ definitione
t 2. de an. posuerat, inquiens, *t Vnde anima est actus primus corporis natu-*
t. 6. *ralis potentia vitam habentis; tale autem quod vtique sit instrumentale.* & mox eamdem definitionem referens mutet potentia vi-
u 2. de an. tam habens in instrumentale, pro eodem habens potentia vi-
t. 7. tam habens, & instrumentale, dum ait, *Erit vtique anima primus actus corporis naturalis instrumentalis*: tale vero non esse
x 2. de an. cadauer perspicuis verbis postea declarat asserens, *x Non est*
t. 10. *autem quod abiecit animam potentia existens vt viuat, sed quod habet*: at vero tu putas instrumenti rationem consistere in figura, colore, & soliditate partium, quæ conspiciuntur in cadauere; quum sita sit in eo, quod possit immediate cooperari agenti
y t. x. 9. præcipuo, vt innuit Aristoteles paullo y antea: Et ratio dictat,

etenim

etenim instrumenti definitio est, quod aptum sit cooperari agenti præcipuo; secus enim quod illi cooperari non potest, vere instrumentum non est, sed nomine tantum, seu æquiuoce, vt oculus mortui, & lapideus, & pictus, vere oculus non est, nisi idiotis. Quod autem dici scurriliter ais, cadauer habere propensionem ad vitam; & animam separatam esse simul, & nexam, & solutam; etsi toto in hoc tuo commétario nihil aliud agas quam scurram; tamen tu semper scurriliter dicendo quid sit scurriliter dicere non intelligis: est enim scurrilitas turpis & procax dicacitas neque temporis, neque loci, neque personarum respectum habens, & scurrile dicitur ridiculum cum turpitudine; ab illis autem dogmatibus abest omnis turpitudo. Sed ex Vlyssea sententia, qua dixit, Nexum corporis & animæ consistere in essentiali propensione, quam habet tum corpus organicum ad vitam, tum anima ad corpus naturale organicũ viuificandum, non deduci duo illa absurda, quæ proponis, iam ostendi tum negans cadauer esse corpus organicum, immo demonstrans non esse corpus organicum; nec habere propensionem ad vitam pristinam; habere tamen ad vitam aliquam: tum negans animam separatam habere naturalem propensionem ad corpus viuificandum: quare, mi vetuex, hoc tuum cadauer, & hæc anima tua separata nil damni potest inferre Vlyssi. Profer alias tuas nebulosas. VER. Saltat in *z* hac scena Satyrus, aitque, *a* *Amplius illud postremum placitum tuum mihi suspectum non esse non potest*; Corrige, precor, istam tuam negationis duplicis collocationem: caue ne vapules a *b* Prisciano. Sed cur tibi supectum est hoc placitum? nempe ob duo, vnum, *quia calor non solum hetgrogenea disgregat, sed inter corpora sunt & homogenea, quæ congregantur a calore: alterum, quia peracta iam tertia coctione vltimum alimentum adeo purum est, vt vi natiui caloris nullæ partes ipsius a reliquis separentur, sed totum omnibus excrementis depuratum conuertitur in naturam viuentis, quod eo nutritur.* Hæc ne sunt duo capita, ob quæ tibi non placet meum illud placitum? audi igitur, & si caput habes, vtraque capita detruncata iacere videbis. Primum recipio, calorem non solum heterogenea separare, sed etiam congregare homogenea: imo vlterius tibi dicam, non posse vnum sine altero consistere: neque congregari queunt homogenea, *c* quin heterogenea separentur; neque separantur heterogenea, quin *d* congregentur homogenea. Nondum hoc prius consideraueras, addisce ergo. Homogeneum si daretur corpus, partes haberet omnino inter se vnitas, *e* quippe nihil impediret, *f* quo minus ita esset: iam

z pag. 134. *a pag.* 29. 30. *b vmbr.* 197. *c vmbr.* 198. *d vm.* 199. *e vm.* 200. *f vm.* 201.

ergo constat, tunc calorem non congregaturum partes homogeneas, vt pote quæ iam antea congregatæ essent: ex consequente etiam si heterogeneitas partium facit vt impediatur vnio, separatis heterogeneis vniuntur homogeneæ. Ego vero non mentionem feci congregationis partium, quę homogeneæ sunt, g vm. 202. tum quia id comprehenditur in g separatione aliarum, quę sunt h vm. 203. heterogeneæ, tum quia ad institutum pertinebat agere h duntaxat, de ijs, quæ separantur. Alterum, quod ais peracta tertia coctione vltimum alimentum esse omnino purum, nec habere partes, quæ vi natiui caloris separentur, deceptorium est; non est purum & homogeneum simpliciter, ac secundum propriam naturam, sed secundum substantiam eius quod alitur. Accipe nutricem, huic ex cibo factum fuit lac, si lac assumat, rursus ex lacte fiet sanguis, & ex sanguine lac. Sed tu forsan nesciebas ad- vm. 204. huc mammas K nutriri ex lacte, & lac iam esse passum omnes tres coctiones. At saltem debebas scire, si quispiam suismet l vm. 205. carnibus vesceretur, ex eisdem l excrementa debere separari. As. Ascendamus ab his postremis ad superiores vmbras. Caro, mi Castro, qua quis e se sumpta, polypi ad instar sibi cirros infame rodentis, & ad instar matreę feræ vesci, & ali potest, relata ad vltimum alimentum in carnem nutritione vertendum, heterogenea est; quia excrementa, quæ per tertiam coctionem ab alimento secreta sunt, tenuia, & crassa, seu fuliginosa, & vaporosa, viam sibi parant ad cutis poros per laxam carnium substantiam; vnde semper caro continet in se multa excrementa huiusmodi, non quidem tanquam sui partes, sed ex necessitate materiæ, quia est via, perquam illa deferuntur; at alimentum post tertiam coctionem vertendum in partes proprias carnis, omni prorsus excremento purgatum est: dum ergo quis carnes sibi proprias deuorat, ideo coctione segregat ex ijs excrementa, quia caro, quam deuorat, excrementis tertiæ coctionis scatet, ab vltimo alimento per carnem perreptantibus ad cutem. Deinde caro dum ore manditur necessario commiscetur cum excremento saliuæ; dumque digeritur in ventriculo, necessario permiscetur itidem cum excremento pituitæ, nunquam non ibi degentis; quin & cum ichore, seu seroso excremento, quod futurum est illi vehiculum per arctissimas mesætei venas ad hepar: quare caro longe puritate cedit vltimo alimento. De lacte nutricis idem esto iudicium; necessario namq; miscetur in stomacho cum pituita, & seri vehiculo: quin & e mammis eductum, in aere, in ore facile alteratur ab ambiente, ob mollitiem suæ substantiæ; tali vero alteratione tenuiores

partes

partes eius induunt excrementi naturam, quod concoctionibus eximẽdum est a succo alimentari. An vero mammæ nutriantur lacte, an potius sanguine, sed lac sit mammarum fructus, res controuersa non est in his angustijs disputanda latius. Quod autem ais, ad institutum pertinuisse duntaxat agere de ijs, quæ separantur; id non tollit difficultatem, quæ non officit ijs, quæ separantur, sed falso tuo dogmati, quo statuis, *nihil esse adeo purũ, quod aliquas partes, quæ separari queant, non habeat*: tuum est hanc tuam impuritatem in omnibus tueri: tu adeo impurus es, vt putes, velis, ac dicas nihil esse purum simpliciter. Quod asseris, congregationem partium homogenearum comprehendi in segregatione heterogenearum, falsum est omnino; quia sunt hæ duæ functiones caloris diuersæ, quarum vna præcedit alteram tempore; prius enim calor agens in alimentum coctio-ctione segregat excrementa a succo salutari, quæ est heterogeneorum disgregatio; deinde concoctum alimentum parti alendæ m simile ac homogeneum vnit, & agglutinat; quæ est homogeneorum congregatio. Quod insuper inquis, homogeneũ si daretur corpus, partes haberet inter se vnitas, id a vero abest; nam n Aristoteli numerantur inter partes similares, caro, neruus, & os; quum certum sit ossa, & carnes, habere meatus, quibus partes non omnino possunt in eis esse vnitæ. Quod vero subdis, nihil impedire partium vnionem in homogeneo corpore, falsum est item; quia meatus id efficiunt, quibus homogenea plerumque scatent. Quod vis a te Vlyssem addiscere, separari non posse heterogenea, quin congregentur homogenea; nec homogenea congregari posse, quin heterogenea separentur; hoc fieri nequit; nam Vlysses falsa discere neque potest, neque vult: in tertia coctione separantur heterogenea, nimirum excrementa a succo alimentari, & nihilominus contingere potest, vt impediatur assimilatio, & agglutinatio, proindeque homogeneorum alimenti, & alendæ partis congregatio a suboriente morbo. Quin & succus ille depuratus non necessario congregatur in vnum corpus, at dispergitur ad instar roris in multas veluti guttulas in partis alendæ varias particulas: sic ergo potest heterogeneorum disgregatio fieri sine congregatione homogeneorum. Viciſſim dum Spagyricus aurum obrizum in crucibulo ad multum temporis maximis ignibus inflammat, quas partes ex auro calor heterogeneas separat? nullas omnino, quia pondus idem omnino retinet aurum obrizum e crucibulo detractum, quod habebat antequam inflammaretur; at ad ignem illum auri partes homogeneæ congregan-

m *2. de an. t. 45.*

n *1. de hist. cap. 1.*

gregan-

greguntur, quia magis aurum fixatur, vt verbo Chymico vtar, & partes magis in eo vniuntur, porique cæci penitus abolentur. Quod vlterius Vlyssi corrigendam esse dicis duplicis negationis collocationem, ni velit a Prisciano vapulare, dum ait, *postremum placitum tuum mihi suspectum non esse non potest*; futile prorsus est; in hac enim duplicis negationis collocatione ne vlla quidem vitij suspicio: quid enim aliud, *suspectum non esse non potest*, quam, suspectum est omnino? Sed magis te
o pag. 136. manent a Prisciano verbera, dum ais alibi, *o te alibi demonstrasse*
p vm. 206. *piactaris*, & *q* mox *Peripateticum te esse iactaris*. iactas tu qui-
q pag. 141. dem & verba, & sententias. Age alias tuas mihi pande nebulo-
r pag. 181. sas. VER. *r* Aerem, dicis, non maiorem vim habere in substantiam humidi radicalis, & in vires caloris, quam habet aquæ stilla cadens e sublimi loco in subiectum marmor, aerem inquam, *seu per occultos poros, seu per patentes meatus cutis*: voluisti dicere,
s vm. 207. seu per occultos poros cutis, seu per patentes meatus, nam pori, meatusue cutis non sunt *s* patentes: quare patentes male ad cutem refers: Sed hæc est tua bella verborum dispositio, potius Bacchanalis transpositio. An nescis, meatus patentes, per
t vm. 208. quos attrahitur aer *t* respiratione, esse nares, & os; occultos vero, per quos transpiratione, esse poros cutis? Deinde com-
u vm. 209. paras aerem, qui intus *u* susceptione in nos agit, cum stilla aquæ, quæ tundendo saxum afficit; considera ergo quam belle
x vm. 210. tibi succedat *x* comparatio. As. Adeo magno spacio distat hæc nebulosa a superioribus, vt gaudere possit Vlysses, multa eius te dogmata præterijsse, quæ grammatica tui pædagogi non perstrinxerit. Sed in præsenti cur non potuit Vlysses & vere, & eleganter dicere, *seu per occultos poros, seu per patentes meatus cutis intra receptus aer*? cur dici debuit ab illo, *seu per occultos poros cutis, seu per patentes meatus*? quia inquis, *pori, meatusue cutis non sunt patentes*: in primis, esto verum quod affers; iam foret falsa Vlyssis assertio; sed tamen hæc eius oratio grammaticæ regulas non læderet: quare præter rem tua stellula ponitur in margine, Verum deinde ridiculam tu ponis in proposito caussam; quia meatus, porique cutis, o Veruex, alij cæci sunt, siue occulti, per quos vt ingreditur aer, & egreditur fuligo per insensibilem, quam vocant Medici transpirationem; alij vero patentes sunt, vt os, nares, & alij, per quos ingreditur & aer, & cibus, & potus, & multiplex egreditur excrementorum genus:
y Hist. ana. quæ duo cutis foraminum, seu meatuum genera te docere po-
lib. 1. c. 5. terat Laurentius inquiens, *y Cutis tota foraminulenta est; sed eorum foraminum alia sunt conspicua, alia oculorum aciem effugiunt*:

giunt: illa finita sunt immittendi in corpus, aut emittendi aliquid gratia comparata, vt in oculis, naribus, auribus, ore, vmbilico, pudendis, ano: hæc infinita ad διαπνοὴν ἄδηλον, id est insensilem transpirationem, sudorum & fuliginum necessaria. Hoc ipsum discere poteras a [a] Vesalio scribente, *Quemadmodum neminem latere scio, cutem maximam totius corporis partem esse, perpetuo contextu efformatam: nisi quod tenuibus foraminulis ad fuliginosorum excrementorum propulsionem, & pilorum generationem paratis, peruia sit: atque etiam in palpebris, naso, auribus, ore, ano, pudendo, & vbi vnguibus viam prebet, interpellitur, perforataque conspicitur.* Te igitur negantem os, & nares esse foramina cutis Vesalius *neminem* appellat, hoc est, non hominem, sed vere bestiã. Idipsum cum Vesalio Columbus innuit, apud quem [a] *Huic epidermidi vera cutis subest, δέρμα a Græcis dicta, quæ & ipsa vniuersum corpus inuestit: quædam tamen loca excipio, vbi perforatur, vt in auribus, oculis, naribus, ore, pene, ano, vulua, extremis digitis, vbi vngues affixi sunt: his addere poteris vmbilicum in fœtu. Præter hæc cutis foramina, vel lippis nota, & perspicua, vbique poris refertissima est, et instar cribri foraminulenta, per qua sensui occulta foramina sudor exit.* Quare te negantem os, oculos, nares, aures, anum, vuluam, & id generis esse meatus, poros, & foramina cutis, ait oculorum mentis vtriusque, nimirum agentis, & possibilis, lippitudine valde laborare. Denique vero Galenus ipse te arguit, dum inquit, [b] *Deliramenta hæc plane sunt, hominumque officia, qui elementa, quæ initio male posuerunt, tueri turpiter conantur, quæ quum videant labefactari, si natura concedatur esse artificiosa, eiusmodi impudenter effutire coguntur; quamquam, vt dixi, nihil opus erat omnes corporis partes per anatomen eruere: nam vna quæuis extrinsecus conspecta, satis esse poterat ad artem eius, qui ipsum condidit, ostentandam. Nec certe attinet aurium, aut superciliorum æqualitatem, ac vsum commemorare, aut palpebrarum, vel ciliorum, vel pupillæ, aut cuiusuis eiusdem generis, quæ vim naturæ incredibilem, ac sapientiam declarant; quum satis id quod in promptu est, quodque cutim appellamus, artem ipsius possit ostendere. Si quis enim ipsam per se considerarit, videritque in multis quidem partibus eam sibi ipsi esse continuam, in paucis autem quibusdam foramina habere, sciet, vtrum partibus illis temere sit perforata; vt si nihil per ea foramina in corpus ingrediatur vtiliter, aut ex eodem exeat, an omnium vtilitas sit maxima. Nam aliud quidem horum foraminum, quod cibis ac potibus, & præterea aeri nobis circumfuso esset ingressus, extitit: aliud vero, quo humidis, ac siccis excrementis esset exitus: superius spiritui per nares*

est

[a] 2. anat. cap. 5.

[a] lib. 13. c. 1

[b] 17. de vs. par. c. 1.

est ingressus, inferius semini est exitus. Excernendorum autem excrementorum caussa alij meatus sursum ad cerebrum per nares perueniunt: alibi corpus foraminibus pertusum reperias, vt per ea foramina animal possit audire; alio loco videndi gratia est scissum; nusquam foramen est superuacaneum. Sic igitur Galenus apertissime constituit meatus aurium, oculorum, narium, oris, ani, pudendorum esse foramina cutis, esse cutis, quæ in promptu cuiuis est euidentissima, poros: & tu tibi titulum Medici præstantissimi arrogas, qui hæc a Galeno pronunciata prorsus ignorans asseris, cutem non habere patentes meatus? felices illi studiosi, qui a te Medicinæ theoriam de prima sede almæ Vniuersitatis audiunt! Sed quia forsan non ita Latine scripta capis, nec autoribus classicis a me nunc in medium allatis fidem adhibes, en tibi proponam Hispanum autorem, & Italice versum, versionemque comprobantem, Ioannem Valuerdium talia de proposito scribentem, c *Ma tutt'ella* (loquitur de cute) *e piena di certi piccioli spiragli, chiamati da Greci Poros, per gli quali si purgano le superfluitadi del corpo, & nascono i capegli. Questi spiragli son piu piccioli nella palma delle mani, & nelle piante de piedi, che in alcun'altra parte. Senza questi buchi ne ha parimente la pelle degli altri, liquali manifestamente si conoscono, come son que' del naso, occhi, bocca, orecchie, membro, fondamento, et vgne. Perche cagione sia fatto ogn'vn di questi buchi, quando tratteremo delle parti, che stanno di sotto alla pelle, lo diremo piu particolarmente. Hora è da sapere; che questa pelle è couerta.* &c. Sic igitur Vlysses apte, scientificeque dixit, *seu per occultos poros, seu per patentes meatus cutis:* tu vero stolide negas cuti patentes meatus. Ceterum neque proprie dicis aerem attrahi respiratione; quum enim respiratio sit motus compositus ex inspiratione, quæ attractio aeris est ad præcordiorum æstum temperandum; & expiratione, quæ est fuliginum expulsio extra corpus; aer attrahitur inspiratione, quæ pars est respirationis, non respiratione simpliciter, dignissime crassorum ingeniorum antecessor. Quod insuper ais, Vlyssem male comparare aerem; qui intus susceptione in nos agit, cum stilla aquæ, quæ tundendo saxum afficit; duplici nomine reprobatur a viris doctis; primo quidem, quoniam aer non agit in nos ipsa, vt ais intus susceptione, sed post eam iam intra receptus aer, vt dixit Vlysses, in nos agit sua qualitate, ac virtute. Deinde vero, quoniam etsi aer nostrum corpus ingrediatur, aquæ stilla forinsecus lapidem tundat; comparatio inter hæc duo sit non in modo agendi, mi Veruex, ast in virtute seu in robore agendi; siquidem ait Vlysses aerem exteriorem

c li. 2. ana. cap. 2.

habere

habere minorem actiuitatem in corpus humanum, quam habeat aquæ stilla cadens ex alto in subiectum marmor: in vi autem agendi, qua vtrumque pollet, inter hæc duo agentia fit optime comparatio. Sed, gratia disputationis hoc dictum sit, non ne aquæ stilla foueam faciens in lapide, quem tundit, se se ingerit intra saxi corpulentiam? sic igitur eclipsim patitur hæc tua stellula nebulosa; immo vero prorsus extincta iam euanuit, vt illa noua dudum in Cassiopea. Iam extinctis nebulosis, quæ in prima parte præsepis erant, eas nunc adeamus, quæ sunt in secunda. Ceterum raræ admodum ibi sunt; detege primam. VER. Non d opponi, ais, Galeno, carnes coctas hominibus in cibum assignanti: *nam barbari carnes humanas deuorant non crudas, sed comedunt coctas*. Hic obiter tuam admiror latinitatem, e *deuorant non crudas, sed comedunt coctas*. Sed ego Galenum f iam diu g reliqui, postquam de Scythis egi, As. Vere tu Galenum reliquisti, qui nec eum intelligis, & illi exprobras insufficientiam h doctrinæ: sed an eum iamdiu reliqueris eo sensu, quo nunc loqueris, facile iudicauerit. quicumque tua illa dicta legerit. At quod admireris latinitatem Vlyssis dicentis, *deuorant non crudas, sed comedunt coctas*; nihil est mirum; quia quum admiratio fit ignorantiæ soboles, tu ignoras eadem verba Ciceronem coniunxisse, ac distinxisse, ac eadem ferme locutione vsum fuisse. *Quocirca*, i inquit, *Segullium negligamus, qui res nouas quærit: non quod veterem comederit (nullam enim habuit) sed hanc ipsam recentem nouam deuorauit*. an ad faciliorem intellectionem dicere debuerat, *non deuorant crudas, sed comedunt coctas*? non putabat ipse te tam bardum esse, vt illa transpositio tibi latinitatem obscuraret; sed apte ac latine locutus est; quippe crudæ carnes more ferino deuorantur, coctæ magis comeduntur. At vero quis tuam non suspiciat nedum latinitatem, sed etiam grammaticam? dicis k enim, l *Empserint*, pro emerint: m *butyrositas*, quod nomen est plane barbarum: *nugare* o *velis*, pro p nugari; nō enim nugare, sed nugari vult, ac debet tecum; *nugo nugas* in tuis nugis est: q *Pergamenum patrocinaris*, pro Pergameno; tu vero non semel in hoc verbo peccans patrocinium ignorantiæ tuæ nullum relinquis: ais namque, r *hactenus formicas aduersus vrsos es patrocinatus*; *incipis nunc vrsos, &* s *glires patrocinari aduersus homines*. at quis tibi patrocinabitur? hic enim incipis a solœcismo repetito: *Patrocinor* verbum, cui bis accusatiuum tribuis, datiuum petit: & tu latinitatem Vlyssis coarguere vis? tu, qui concordantias nescis? scribis etenim, t *thesaurum* u *aliquod*, quum thesaurus masculini generis sit:

d pag. 144.
e vm. 211.
f vm. 212.
g vm. 213.
h de Asit. p. 19.
i ep. 177.
k pag. 235.
l vm. 214.
m pag. 238
n vm. 215.
o pag. 242.
p vm. 216.
q vm. 217.
r pag. 219.
s vm. 218.
t pag. 198.

N x ve-

x pag. 269. y vm. 220. z pag. 280. a vm. 221 * in praef. x vocabulum y cum; quum id dicendum fuerit: ex dialecto incognito pro, ex dialecto incognita: & alibi saepe consarcinas conglutinasque nomina plane inter se discordiam habentia, vt iam tuus Athos nõ sit a Prisciani fulminibus securus; licet olim tu falso constitueris Rhamnusius * Mastix Athon tonitrua & huiusmodi meteora non perpeti in suo vertice; contra * Virgi-

* Georg. 1. lij nõ modo placitũ, sed & reclamante Petronij fragmento; cui,

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua coelo
Fulmina quum caderent, discussaque moenia flammis,
Atque ictus flagraret Athos.

repugnanteque Horatio, cui

§ lib. 2. *Feriuntque summos*
Fulmina montes.

nimirum in summitate montium decidunt de coelo fulmina, b pag. 254. non infra eorum quantumuis excelsorum cacumen. VER. b Ex c vm. 222. his constat Adamum non pronunciasse (vt tu male ais) nomina c naturalia, sed ea rebus imposuisse iuxta earum naturas; quas per scientiam a Deo sibi infusam cognoscebat. Interim cum dicas, Adamum non imposuisse nomina ad nutum, addiscito d vm. 223. loqui: nomina enim non ad d nutum, sed ad libitum imponuntur. SIB. Vt calor bifariam dici potest naturalis, vel quod sit secundum se res quaedam physica; quo sensu febrilis calor etiam est naturalis; vel quod sit conueniens naturae humanae, quo sensu febrilis calor non est naturalis; at solum talis est calor proprius vitae, nomina bifariam naturalia dici possunt, vel quod natura sua significatiua sint rerum determinatarum; quo sensu de nominibus in loco a te vellicato non agit Vlysses; vel quod sint conuenientia naturae rerum significatarum, seu quod significent naturas rerum, quibus imposita fuerunt ab Adamo; & hoc sensu nomina dicta fuisse naturalia ab Vlysse, constat ex e sup. p. 149. eius verbis, ait enim, e *nomina rerum ab Adamo pronunciata fuisse rebus naturalia, illisque propria; vt non ex arbitrio ea rebus imposuerit, neque nomina finxerit ad nutum; sed ea nomina pronunciauerit, quae conuenientia naturae rei, rerum ipsarum naturas decenter indicarent.* tu vero per fraudem subticuisti particulam *rebus*, dum carpens Vlyssem, inquis, *Ex his constat Adamum non pronunciasse (vt tu male ais) nomina naturalia:* nam Vlysses dixerat, eum pronunciasse *nomina rebus naturalia*. AS. Sed, quod postea damnas locutionem, quia nomina non ad nutum, sed ad libitum imponantur; id mirificam tuam prodit eruditionem, quae notissima non nouit, nutum scilicet pro voluntate dici: vt idem sit ad nutum, & ad voluntatem, siue ad libitum:

si

si non intelligis Ciceronem dicentem, tum *f Iura omnia nutu atque arbitrio alicuius gubernari*: tum, *g Autoritate, nutuque legum docemur coercere cupiditates*: tum, *Tu hne contra Cæsaris nutum?* addiscas a Calepino nutum accipi pro voluntate; addiscas a peritis grammaticis, quibus nutus metonymice voluntas, & arbitrium. Sed proximam detege mihi nebulosam. VER. Responsioni, quam tibi aliquis afferre posset, occurris, posset namque aliquis respondere, filios a parentibus fuisse edoctos. SIB. Ita respondit mysticus Vlysses, cuius verba tu more tuo non ex fide recitas, *tamen de Adamo tale quid afferri non potest, neque de coniuge sua Eua; quę statim condi a sermones triuit cum i serpente, ac excusationem de peccato pronunciauit.* VER. * Non putabam, grammaticos posse dicere excusationem pronunciare de aliquo, tibi tamen omnia licent. AS. Licet apud bonos grammaticos nominibus verbalibus sæpe casum suorum verborum admittere, vt iter Romam, discessus ex Africa; sic excusare de aliquo recte dictum, efficit vt non male dicatur aliquis excusationem de peccato pronunciare, hoc est clara voce proferre. Sed tu a quibus grammaticis didicisti, dicere tum *l capras intus cum pueris m commoraße*, pro commoratas esse? tum, *n Scripsiße dicuntur multa in duobus columnis, quorum vna lateritia erat, altera ahenea, imo, vt affirmat Iosephus marmorea, o quæ suo tempore in terra Syria extitisse ait*, pro quam, vel quas columnas: tum, *p dum ais, Aristotelem dixisse, semen hominis est hominis q fructum*, pro, est hominis fructus, vel esse hominis fructum? Ad alias nebulosas accede. VER. *Nolo r præterire hic tuam grammaticam, qua ais, Terram fructium, nisi solicitatam, ac laboribus vexatam dare*, cum deberes dicere, *non nisi*: quod grammaticæ magistro, vt tu videri vis, non est admodum honorificum. AS. Nisi, pro nonnisi a Columella vsurpatum, te docere poterit Thesaurus linguæ latinæ. Sed Vlysses vt honorificum sibi ducit grammatice loqui, sic tuos grammaticæ lapsus tibi ostendens a te gratias, non conuicia reportare deberet. Obsecro te, quomodo tuam grammaticam præterire possumus dicentem hæc ad verbum? *s Aliter vrsis contingit, de quibus Aristoteles, & t glires, de quibus Martialis*: & gliribus dici debet: quo te loco inter hæc animalia ponam? aisque alibi, *u vt præ x oculos habeat vnusquisque*; quis te oculos, aut mentem habere putet? ne præpositionum quidem casus vides. & mox addis. *Neque est, vt tu putas, y simultanea, z repentineque concoctio*: quum *simultanea*, & *repentine* barbaræ voces sint; etsi barbaram tibi locutionem permittere debeam. Consimi-

f in Verr. g de orat. h ad Attic. i Gen. 1. k Gen. 3. * pag. 254. l pag. 282. m vm. 224 n pag. 281. o vm. 225. p pag. 306. q vm. 226. r pag. 258. s pag. 212. t vm. 227. u pag. 87. x vm. 227. y vm. 228. z vm. 229.

a pag.218. lia his paullo post affers inquiens, [a] *Duo in hac tua interrogatione, tibi solita vitia reperio : nempe mendacium , & [b] praua logica* : praue ; nam prauam logicam dicere oportebat : sed refer alia sidera. VER. Tu [c] autem in græco sermone similitudinem inter viri & mulieris nomina reperisti : vir grece dicitur *ἀνὴρ anèr* , mulier autem *γυνὴ* gene. Adeo male dispositas habes aures , vt tibi *anèr*, & *genè* quasi [d] duo inter se similia vocabula [e] repræsentet, videtur tibi eas Midas donasse. Ais etiam inter virum & viraginem similitudinem esse, sed grammaticus cum sis, ignoras, viraginem non esse omnem mulierem , Deum tamen nomen generale [f] omni mulieri, conueniens dedisse. AS. Cui Midas aures dederit, an tibi, an Vlyssi , constat aperte vtriusque vestrum caput intuentibus. *Similitudo* vero, quam Vlysses posuit inter nomina græca viri & mulieris *ἀνὴρ* & *γυνὴ* ex dicto Vlysseo primum non est ex aurium iudicio petenda, sed ex visu; quia scribit ille, *Vt enim in Hebrea , sic in Latina lingua ijsdem pene litteris, ac multum similibus scribuntur, Vir , et Virago; & in Græca ἀνὴρ* & *γυνὴ* : modo litteræ descriptæ non auribus , sed oculis percipiuntur . Deinde vero consimilibus multum litteris scribi *ἀνὴρ* & *γυνὴ*, perinde ac *vir* & *virago* Latine , & *is* , & *issa*, vel vt Eusebio placet, *Heis*,& *Hessa*, Hebraice; vel potius vt Pagnino, *Vir*, & *Virissa* : quilibet videt, nisi plane cæcus sit. Deinceps autem si iudicium aurium vis , non minorem similitudinem litterarum , seu soni habent inter se græca nomina *ἀνὴρ* & *γυνὴ* , quam *vir & virago* : *fortitudo* & *fortis* : quum enim quatuor litteris constent singula græca illa nomina ; *γυνὴ* vnicam habet, qua caret *ἀνὴρ* , nempe *γ*. & *ἀνὴρ* duas tantum habet, quæ non reperiuntur in *γυνὴ*, *α* & *ρ* : quum maior litterarum diuersitate disterminentur *fortitudo*; & *fortis* ; quum *fortitudo* quatuor litteras habeat , quæ non leguntur in *fortis*; & hoc vnam litteram obtineat s, quæ non est in *fortitudo*, quod est nomen asigma : & nihilominus a fortitudine fortis denominatur, & cum eo similitudinem habet in litteris , & sono. SIB. Sed & septuaginta Interpretes aperte tuentur Vlyssem , dum locum hunc iam vertunt, *Ipsa vocabitur γυνὴ* quia , *ἐκ τοῦ ἀνδρὸς sumpta est*. Ceterum tu non intelligens, totum sæpe denominari a nobiliori ac perfectiori parte , negas pædagogus Philosopho viraginis nomen proprium Euæ, ac præstantiorum feminarum accipi posse pro tota mulierum specie : quod & Plautus aperte significat in Mercatore dicens,

——————— recte ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam, forma mala,

Vt

Margin notes: b vm.230. c pag.268. d vm.231. e vm.232. f vm.233.

Vt matrem addecet familias: aut Syram, aut Aegyptiam:
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro, neque
Propter eam quicquam eueniet nostris foribus flagitij.

VER. Rem sic accipe. Virago non significat simpliciter & absolute mulierem, sed eam mulierem, quæ virili animo sit prædita, vnde Plautus, *Recte ego emero matri tuæ ancillam* g *viraginem aliquam.* As. Calepinus tibi imposuit, mi Veruex, apud quem legisti, *Virago mulier fortis, quæ viro similis sit, & virilia opera faciat Plautus in Mercatore, Recte ego emero* &c. an ne tibi virilia opera sunt, molere, conficere pensum, pinsi flagro? mihi quidem muliebria, & seruilia videntur opera: an ne tibi mulier fortis, & viro similis sit Aegyptia, vel Syra, quæ tundi flagro sustineat? mihi vero etiam masculi Syri, ac Aegyptij sunt effœminati, & imbelles, luxui, non fortitudini operam impendentes; sed, vt ait Cicero, nationes sunt natæ seruituti, ac venales, Iudæi, & Syri. SIB. Quod ais, o Veruex, *Viraginem non esse omnem mulierem, Deum tamen nomen generale* h *omni mulieri conueniens* i *dedisse:* non ita facile conceditur; nam videtur potius e sacra pagina colligi nomen Viraginis Euç datum ab Adamo, qui nuperrime dederat nomina cunctis animantibus ante mulierem efformatis; nam in vtraque nominũ constitutione designanda videtur Moses eandem formulam loquendi seruasse, dicens primo, k *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ.* & mox. *Et Edificauit dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam: dixitque Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* nec in textu verbum habetur, quod hanc appellationem referat ad Deum. Deinde tuam inconstantiam, immo contradictionem, accusare quis posset, dum ais, *Viraginem non esse omnem mulierem, Deum tamen nomen generale omni mulieri, conueniens dedisse,* dum Euam appellauit Viraginem: tibi ergo Virago nomen est conueniens omni mulieri, & tamen virago non est omnis mulier. Sed grammatica quoque de te valde conqueritur, dicente, *Deum tamen nomen generale omni mulieri, conueniens dedisse,* tum quia male virgula separasti *mulieri, conueniẽs:* tum quia datiuum casum prætermittis correspondens verbo *dedisse;* non enim Deus tunc omni mulieri nomen dedit, sed vni omnium

g *v.m.* 134.
h *v.m.* 135.
i *v.m.* 136.
k *Gen.* 2.

omnium primæ, quam tuo iudicio nuncupauit Viraginem; quod nomen dum ais esse generale conueniens omni mulieri, non solum eius criminis sis reus, de quo nuper Vlyssem accusabas, quasi contra grammaticam peccaret ignorans viraginem non esse omnem mulierem; sed etiam falso statuis nomen viraginis absolute esse generale conueniens omni mulieri; nam est speciale primario significans mulierem virilem; licet ab ea parte præstantiori totum genus mulierum nomine viraginis
l pag. 272. vtcumque denominari valeat. *l* VER. Tertia sequitur conie-
* vmb. ctura, quam tu ad * Dantem autorem refers, posses ad *m* quam
m vm. 236 plures alios referre, communissima namque est: nempe *Quod Redemptor noster ortum ducturus ex filiis Heber inter Hebræos, non lingua confusionis, sed lingua gratiæ frui deberet*: Hanc tu dupliciter calumnijs impetis. Primo sic: *Lingua illa gratia dici*
n vm. 237. *non meretur, qua n loquutus est Diabolus tentatus Euam* (*o* tentas
o vm. 238. voluisti dicere: sed heus tu, ne conijcias culpam in typogra-
p vm. 239. phum; neque enim error iste est in ijs, quos ad libelli calcem notasti) *& Euam mendacia dicens, & Cain, & omnes alij ante diluuium, peccatorum multitudine, at enormitate Deum ad totius mundi subuersionem irritantes*. Tua grammatica hic affulget, siquidem illud *at*, quod est disiunctium pro coniunctiuo appo-
q vm. 240. nis, & *q enormitatem* dicis, cum latinorum nullus ita loquatur. At tu bardus es, & nescis, Deum potuisse linguæ primæuæ autoritatem præstare, & subinde *r* potuisse, si vellet, eamdem
r vm. 241. auferre: e contrario Diabolum non *s* potuisse autoritatem lin-
s vm. 242. guæ auferre, cui eamdem autoritatem non poterat præstare:
t vm. 243. notissimum est hoc apud iureconsultos iuxta *t* regulam *Eius*
u vm. 244. *est nolle, qui potest & velle*. Non dicitur *u* silere ille, qui loqui nō potest. As. In primis quum in homine silentium sit priuatio
x Præd. ca. locutionis; decernente Philosopho, *x* Priuatiue opposita in eo
de oppos. distingui a contrarijs medium habentibus, quod horum non est vnquam necesse alterum inesse susceptibili; priuatiue autem oppositorum aliquando necesse est alterum inesse susceptibili; quod adultus homo necessario est aut cæcus, aut videre potens; iam falso dicis absolute, non silere illum, qui loqui non potest. Deinde non ad rem adhibes regulam Iurisconsultorum, *Eius est nolle, qui potest & velle*; cuius sensus est, vt ille solum valeat iuste ac cum recta ratione assensum negare cuipiam actioni, qui ex officio queat adhibitis requisitis assensum præstare eidem actioni: at nostra disputatio est, num Diabolus, qui nihil iuste, nihil cum recta ratione agit, valeat linguam & sermonem labefactare. Non enim labefactare potest aliquid ille

solus,

solus, qui potest id ipsum perficere; quia circulator potest infamare familiam suam, qui tamen eam illustrare non potest; rudis & imperitus empiricus maledicusque scurra potest Hippocratis libellum de alimento turpi commentario conspurcare, qui tamen haud potest illi operi lucem ac nitorem afferre: tuusque cacodæmon non vult te saluari; qui tamen confirmatus in malo non potest velle tuam salutem? omnino multi possunt destruere, qui nec possunt, nec sciunt ædificare. Præterea quomodo putas ex velle, & nolle colligi posse, & non posse; multa possumus, quæ nolumus; & vicissim; multaque non possumus, quæ volumus, & vicissim. SIB. Deinceps mirabilis est tua dialectica, qua colligere te posse putas linguam primæuam esse linguam gratię, quia Deus potuerit illi nobilitatem, & autoritatem huiusmodi dare: scias ex eo quod quid fieri potest, deduci non posse id ipsum esse factum: tibi ergo ex eo, quod *Deus potuit mittere filium in hunc mundum tempore Dauidis, colligere licebit Dei filium ortum esse viuente Dauide. Sed quid* etiam supponis, quibus Deus nobilitatem, ac perfectionem dedit, iisdem ea bona non posse Diabolum auferre? Deus hominibus primis dedit innocentiæ bonum, quod illis eripuit diabolus tentatione ipsos ad peccandum trahens: quotidie multi hominum spoliantur a Diabolo gratia, & iustitia, quas Deus illis per sacramenta communicauerat: Lingua sane primæua vt dici potuit lingua naturę, quia data est homini in lege naturæ multo ante legem scriptam a Moyse promulgatam, & ante legem gratiæ a Christo Domino datam; ita proprie dici non potest lingua gratię, quia sola nouę legis sacramenta gratiam cōferunt; quam neque scriptę Legis vmbrę, neque Naturę legis pręcepta conferre possunt. Diabolus potest gratiam in anima iusti labefactare, & extinguere per introductionem peccati; & non poterit linguam gratię nuncupatam labefactare? AS. At quod ais, Vlyssem vti vocabulo enormitatis, quo nullus latinorum vtatur, tute eum prodis, qui paucos latinos scriptores legerit; nam secus apud Ael. Spartianum Caracallam legere potuisses, *Enormitate stipendii militibus, vt solet, placatis.* Quod pręterea opponis, male illum apposuisse disiunctiuum *at* pro coniunctiuo; facile diluo, iurans perauriculas istas tuas etiam Asininas fuisse mendum impressoris, quod ob exilitatem latuit oculos correctoris; nam *ac* erat in autographo scriptoris. SIB. Quod insuper culpas Vlyssem, qui non grammatice dixerit, *Diabolus tentatus Euam*: fidemque mihi pręstare nequeas etiam iuratæ de impressoris errato, qui *s* mutauerit in *tu*; quod error

iste

iste correctus non sit cum alijs ad libelli calcem; liceat mihi hunc errorem redimere tum ratione; qua probabile satis est eum non solœcizasse, in cuius scriptis raro solœcismi leguntur; at eum, qui frequentissime solœcismos habet: ad quod fortasse trahi potest illud Senecę, *Grammaticus non erubescit solœcismum, si sciens facit: erubescit, si nesciens*; licet ibi Seneca reuera velit, Grammaticos non erubescere solœcismum, quem dedita opera faciunt, scientes ac volentes solœcizare; at erubescere
Epist. 95. solœcismum, quem per ignorantiam cōmittunt: tum tribus tuis consimilibus vel potius grauioribus in hac tua obiectione notatis: primus est impostura simul & solœcismum continens, quo ais Vlyssis verba referens, *& Euam mendacia dicens*, quum recte scripserit aliter Vlyses, *& Eua mendacia dicens*: alter est, quo corrigens putatum errorem Vlyssis, ais pari, vel maiori errore dicendum fuisse, *Diabolus tentas Euam*; nam Vlyses recte scripserat, *Diabolus tentans Euam*; licet typographi lapsum corrector non emendauerit. Tertius est, quo verba referens Vlyssis, eius orthographiam non seruas, scribens loquutus, pro eo quod ipse scripsit locutus; etsi paruus hic error esse videntur, tamen magnus est in alijs dictionibus; vt dum eius coniunctionem *quum* reddis in notam *cum*, quam accusas postea prępositionem male positam; quod antea notaui. Quartus est, quo dicis *quamplures*, pro *complures*. At, qui *enormitatem* male falsoque dicis a nullo latinorum vsurpari, dic mihi quęso, a quo
ξ pag. 3. Latinorum vsurpari vidisti tua illa verba, *ξ impregnauit*, *ζ deteriorare*, ac *a deteriorari*; *iactaris*, pro iactas, & alia sexcēta in tuo
a pag. 148. b 141. commentario passim male fluentia? Ad Dantem autem, alijs omissis, accessit Vlyses tum quia Dantes optimus fuit Theologus; (cui non es dignus soluere corrigiā) qui Vlyssi sat erat ad te confutandum: tum quia tunc ad manus ei Dantes erat. Sed si quas alias habes nebulosas effer. VER. c Aliter etiam prędictam
c pag. 273 coniecturam accusas: videlicet, *Quia Redemptor, qui carnem passibilem, ac mortalem assumpsit, non autem carnem innocentiæ illam, quæ quoquopacto fuerat immortalis, & impassibilis ante Adæ peccatum, potuit etiam post linguarum confusionem, quam præcessit lingua gratiæ nuncupata, linguam confusionis induere, vt eos conuerteret, & ab iis intelligeretur, qui lingua confusionis appellata vterentur, apud quos degebar.* Hic tuam laudo elegantiam, qui lin-
d vm. 245. guam d induere dicis, & similiter posses dicere vestem e loqui.
e vm. 246. Deinde cum dicas linguam gratię nuncupatam, videris f nolle
f vm. 247. huic lingvę hanc dignitatem attribuere, quę tamen (vt multi D. Paulli interpretes asserunt) etiam lingua g Angelorum fuit appel-

appellata. Num dubitas linguam gratiæ eam appellare, cuius
vſus eſt, eritque in *h* Cælo? SIB. Quis te docuit, in cælo vſum h *vm.* 249.
eſſe linguæ primæuæ? Quis te docuit, Angelos loqui lingua
primæua? Diuus enim Thomas *i* fuſe docet Angelorum lin- i 1. *p. q.* 107 *ar.* 1. *& ſeqq.*
guam a D. Paullo propoſitam non eſſe corporalem locutionem,
de qua ſermo nobis eſt in præſentia; ſed qualitatem corporeæ
locutionis modos excedentem, ac ſublimem & incognitum mo k 2. *mor. c.* 5.
dum locutionis intimæ, vt ait D. *k* Gregorius: de qua fuſe tra-
ctatum eſt in Dialogo de Quadruplici *l* transformatione; quam l *pag.* 11. 12
theoriam non eſt vt huc transferamus: quorum duum autori-
tas longe maiorem vim habet probationis, quam Haymo, Vi-
guerius, Remigius, Dominicus, & Viualdus, a te mox allati, ſi
ſentiant oppoſitum. AS. Deinde vero nõ bene colligis ex vi ver-
borum Vlyſſem nolle dignitatem gratiæ dare linguæ primæuę,
quod eam dicat linguam gratiæ *appellatam*; nam & hic linguã
confuſionis *appellatam* dicit, quam tamen eſſe putat linguam
confuſionis. Quod autem deinceps laudas eius elegantiam, qui
dixerit *linguam induere*, recte facis; nam & Quintilianus ait,
tum, *m Autoritatem induit vera ſentientis*; tum *n falſo ſcientiæ* m *l.* 4. *c.* 1.
perſuaſionem induerunt: & Cicero dixit, *o Indui ſua confeſſione*: n *l.* 1. *c.* 1.
& Tacitus inquit, tum *p Munia ducis per eos dies induit*; tum, o 7. *Verr.*
q Animum bonis artibus non induerat: tum, *r plurimum adulatio-* p *lib.* 1.
nis Seleucenſes induere: tum, *ſ qualem diem Tiberius induiſſet*; q *l.* 15.
tum, habitum & *ſ* voces dolentium ſimulatione *magis, quam li-* r *lib.* 5.
bens induebat; tum, *falſos u pauores induere*: tum, *x ſeditionem* ſ *lib.* 5.
induere, tum, *y ſpeciem iudicij induere non poterat*: tum, *z ſpiritus* t *lib* 4.
hoſtiles induere; & Liuius inquit, tum, *a ſibi ingenium nouum in-* v *lib.* 20.
duere; tum, *b ſimulationem ingenij alicuius induere*. Quare hi elo- x *lib.* 1.
quentiæ proceres, quos imitatus eſt Vlyſſes in metaphora, tibi y *lib.* 3.
cum Vlyſſe iure laudantur. Quod addis, ſimiliter poſſe dici, z *l.* 20.
Veſtem loqui, fateor; nam & elegantiſſime *o* Cicero dixit, *lapi-* a *lib.* 3. *ab Vr & l.* 9
des mehercule omnes flere coegiſſet, qui magis abſunt a natura b *l.* 1. *v. c.*
viuentis, quam veſtis; quæ defluxit vtcumque a viuentis ſub- o *de Orato.*
ſtantia. dixit & idem, *res ipſa p loquitur*, nimirum actio, quæ pu- p *pro Mil.*
rum putum accidens eſt: & alibi, *Hic quidem mera ſcelera lo-* q *Attic.*
quuntur: & alio in loco, *r oculi nimis arguti quemadmodum* r *de legib.*
animo affecti ſumus, loquuntur: qui ſiquidem ait per tropum
elegantiſſime, ſcelera loqui, lapides flere, parietas loqui, tue-
bitur dicentem, *veſtem loqui*, quin eum laudabit eleganter lo-
quentem. Sed, oro te, dic mihi, nonne grammatica, vt alia
quæuis ars, eſt habitus animi? hoc certe decernit *ſ* Ariſtoteles: ſ 6. *ethic. c.* 3. 4.
modo quum certum ſit, habitum ſumi pro veſte, vnde dicimus

O habitum

habitum scenicum, militarem, sacerdotalem, quo sensu vel ipse Calepinus refert legi apud Plautum, *Quis habitus iste tam prolixus?* & apud Plinium, *Qui ad nos lugubri habitu venerat, & capillatior solito*; iam quo nomine virtutes dicuntur habitus ac vestes animi eleganter; ita linguæ nomine significans habitum loquendi talem, qui dicitur lingua confusionis, eleganter dicere potuit Vlysses, *linguam confusionis induere*. Sed tu, qui
t pag. 57. putas eleganter dici, *Rem dixi a nemine u inculpandam*, nesciens
u vm. 250. culpandam dicere te debuisse, quum inculpatus sit culpa carens; Vlyssem arguis inelegantem, qui dixerit, *linguam induere*? tu de elegantia tractas, qui nesciens, *tantum abest* iungi cum gemino *vt*, nec vnquam assumere *quin*, eleganter dixisse re pu-
x pag. 42. tas, x *tantum abest, vt tibi faueant, quin potius valde nocent*? Sed
y vm. 251. iam alias excute nebulosas. Ver. z Rideo quod induere a ser-
z pag. 275. a vm. 252. monem adeo eleganter dictum existimes, vt id bis repetas, cum ne semel quidem scribendum foret. Sed magis ridere quispiam poterit, quod cum D. Paulus dicat, *Multifarie, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio.* Tu hæc verba accipis, quasi multifarie, hoc est multis & diuersis idiomatibus Deus Prophetis loquutus fuerit. Vnde nam accepisti hanc expositionem, quæ nihil
* vmbr. * male habet, nisi quod veritatem oppositam habet? nam sem-
b vm. 253. per vno & b eodem idiomate Deus Patriarchis, & Prophetis loquutus dicitur, nempe hebraico. Sib. Tu petens principium, accipis absque probatione id, de quo tibi cum Vlysse controuersia est. Quod vero petis, vndenam expositionem suam acceperit, ille tibi facile respondebit, ab ijs, qui secum censent primæuum sermonem non fuisse hebraicum: & ab interlineari glossa, quæ verbum *multipliciter* explicat, *multis locutionibus*: & a ratione ducta ex vi verborum, nam vt per ea verba *multisque modis* indicari possunt multi modi significationum per somnia, per figuras, per inspirationes, & id generis; ita per particulam *multifarie* nihil est, quod prohibeat significari multitudinem idiomatum. Quod autem tu rides Vlyssem, quasi bis eadem metaphora tibi non probata vsus fuerit *induere sermonem*; caue ne te Salomon inter eos ponat, in quorum ore risus abundat: caue ne tibi dicat Vlysses, Per me rideas Sardonicum risum: caue ne te talia dicentem irrideant viri eruditi, quasi non intelligĕtem hanc longe diuersam esse metaphoram a superiori; nam illa metaphora fuit, qua Redemptor dictus est induere potuisse linguam confusionis: hæc autem longe diuersa fuit, qua sermo Dei dicitur indutus varijs idiomatibusq; en verba

Vlyssis,

Vlyſſis, *Quare ſermonem ſuum varijs idiomatibus, pro varietate mortalium, quibus loquebatur, Deus induit; nec ſemper primaeua lingua locutus.* As. Mirum cur ſine ſtella nebuloſa pridem notaueris aliam metaphoram in verbo geſtire, & in nomine *illibata* dum ait, c *Neque adeo quando plures quantitates plurium corporum permanentes eadem, & illibata ſeſe concludere geſtiant in vno loco, vni tantum earum quantitatum aequali.* Sed elegantiae tuae dandum eſt, illud, *quae nihil male habet, niſi quod* &c. Ver. Vis praeterea, vt hae quantitates ſint *illibata*; cuperem ſcire, quas tu appellares e libatas: forſan corruptas? & illibatae erunt virgines? Ita ſane: quippe iſtas illibatas cupis, vt ſeſe concludere geſtiant in vno loco ſponte, & gaudentes. Itaque non ſolum erunt Virgines, ſed in coenobio recluſae. Putaſne te f elegante metaphora fuiſſe vſum, dum viuentis paſſionem attribuens g non viuenti, quantitates dicis g gaudentes? At ſcito ab alijs metaphoram iſtam inſulſam, & longe petitam cenſeri, a me autem impropriam; quippe geſtire non eſt proprium h conſtrictionis, ſed dilatationis, iuxta illud, *in tribulatione dilataſti mihi*, nempe cor prae gaudio. As. Non tuas quidem, nec tui ſimilium, quibus Magiſtris te vti fateris, ſed doctorum interrogo aures, & mentem, quum metaphoras adhibeo, & a vulgari ſignificatione verba transfero: Cicero parietes ipſos geſtire dixit, i *Parietes huius curiae tibi gratias agere geſtiunt.* Illa tua conſtrictio, & dilatatio, non ad rem, ſed ad geſtientis affectum referenda, mi Veruex. Quod cupis audire, quas Vlyſſes appellaret quantitates libatas; ego tibi dico nullas; quia libati nomen non reperitur vſpiam gentium, niſi in grammatica tua Caſtrenſi, quae nulla prorſus eſt: illibatas vocat integras, quae nullam labem paſſae fuerunt; quibus opponuntur labefactatae. Sib. Pſalmus, quem citas ad excludendam dilatationem geſtientis eſſe in anguſtia loci, contra te prorſus eſt: nam tribulatio anguſtia eſt, in qua geſtiunt eſſe pleri que ſerui Dei, gaudentes, & exultantes in anguſtijs concludi: ſic Dauid hoc loco Deum laudat, qui ſibi dilatauerit cor prae gaudio in tribulatione, hoc eſt, qui ſibi dederit gaudere in anguſtijs detineri pro iuſtitia. Sic plurimi martyres geſtiebant in anguſtijs pro Chriſto Domino: Hinc Vlyſſes ducta metaphora, Ciceronem imitatus eleganter dixit, *plures quantitates plurium corporum permanentes eadem & illibata ſeſe concludere geſtiunt in vno loco, vni tantum earum quantitatum aequali.* As. Mitte, o Vates, has elegantiarum margaritas mittere ante Veruecem, nam fruſtra eas mittis, perinde ac ante porcum: apud eum etenim eleganter dicitur, tum

c Fer. pag. 162.
d pag. 160.
e vm. 254.
f vm. 255.
g vm. 256.
h vm. 257.
i pro Marc.

k pag. 67. *k Siccitas addit illi penetrationem, humiditas vero minus penetrantem*: Quę turpis est dissonantia casus: tum, *m Itaque dum flammissa vocabulo non vsitato elegantiam affectas (est enim locus, in quo moneta flata, et signata* *o* *seruabatur) in errorem delaberis: redde ergo suum vocabulum Gellio*: *Quod sanguis per venas rapim* *q* *excurrat, patet ex eo quod partes corporis* *q* *continuè ab eis rapiunt, ducta scilicet appetitu naturali, quod apud* *r* *Galenum repeties in eo Ordine, quo fames excitatur. Cum ergo in venis (ob particulas corporis* *s* *semper* *t* *famelicæ) non possit* &c. As. Quasi *particulas famelica*, non sit elegantia Castroniensis. Quasi particulę famelicę sint, famesque non sit Galeno in loco a te citato propria affectio oris ventriculi; non item omnium particularum corporis. Quasi particulæ famelicę sint etiam dum abundant alimento, & eo actu perfruuntur. Quasi non sit principij petitio, ponere partes corporis continuè rapere sibi sanguinem e venis, apud Antagonistam, qui negat nutritionem esse continuam. Quasi sanguis in venis non contineatur, & conseruetur ad futuram nutritionem diu. Quasi venę non habeant retinacula quędam membranosa, primum obseruata a solerti Fabricio, ad continendum sanguinem ne cito delabatur ac defluat assidue ad ima corporis. Et quasi a Gellio cum elegantia recipi non possit vocabulum flauissę. Quasi nimium auari & sordidi non sit, res in thesauro & flauissa continere permanentes, nec vnquam ad vsus necessarios expromere. Sed heus tu, si quas alias habes nebulosas exprome. Ver. *x* Prima tua ratio est: *Si lingua primęua remansisset incolumis ad posteros transmittenda, profecto in illa turris ædificatione non fuisset confusa lingua originalis, aliter ac legamus in sacra pagina*: Dicere voluisti *y legimus*, Grammatice infelix: sed tua infelicitas est maior, ea, quę legis, non intelligere. Fuit quidem vere confusum *labium vniuersę terrę*; quod quidem labium primęuus sermo erat: sed nunquid quia labium illud primęuum fuit confusum, ideo etiam fuit *z* extinctum? logica tua tibi valde nocet: dic ergo sic; confusa fuit gens Itala cum exteris nationibus, multis irruentibus in Italiam, ergo gens Itala *a* nulla remansit. Verberabunt te quamplurimę illustres familię, quę ab antiquis Romanis originem *b* ducere, non abque probabili ratione gloriantur. Sib. Quum igitur omnes originem certo ducant a primis parentibus, & ab eorum successoribus, qui Chaldęi fuerunt turrim ędificantes; iam & Itali, & Afri, & Indi tibi dicentur natione Chaldęi. As. Sed male comparas gentem cum sermone, mi Veruex; etenim sermo, quem linguam, & labium appellamus,

Marginal notes: k pag. 67. / l vmb. 258 / m pag. 87. / n vm. 259. / o vm. 260. / p vm. 261. / q vm. 262. / r 1. de cap. sum. c. 7. / s vm. 263. / t vm. 264. / u vm. 265. / x pag. 277. / y vm. 266. / z vm. 267. / a vm. 268. / b vm. 269.

latus, non continetur in vna sola dictione, sed proprie continet essentiam suam in complexu & ordine dictionum, earumque significatione; quare quum in linguarum confusione Babylonica labium vniuersę terrę propterea cõfusum fuerit, quia sublatus fuit complexus & ordo dictionum linguę primæuæ; sublatęque fuerunt pristinæ significationes dictionum eiusdem linguę; ideo recte statuitur ab Vlysse, confusionem linguę primęuę fuisse sermonis originalis extinctionem; sic exercitus, qui consistit in ordine subordinationeque militum ad ducem, vt ait [c] Aristoteles, nonne confusione ordinis huius definit exercitus esse? sic mundus, qui nititur ordine partium, si confundantur singulę singulis degenerantes in antiquum chaos, nonne mundi fiet destructio? licet in Chao remaneant inter se confusæ pristini mundi partes; & in dispersis, militibus pristini partes exercitus. Quod obijcis de familijs, nihil ad rem; tum quia in vno homine seruatur familia; nec in ea certus est ac essentialis ordo; siquidem indiuidua hominum inter se non sunt essentialiter ordinata, sed accidentaliter, vt aiunt Scholę; tum quia tractu temporis denominantur homines a loco, quem incolunt, non ab antiquis, vnde priscam originem duxerunt; nam & homines exterarum nationum, qui pridem in Italiam irruerunt, progenitores sunt nepotum, quos nunc Italos esse scimus, non autem amplius exteros. Quod vero vis dici non posse, *aliter ac legamus*, at dici debere, *aliter ac legimus*, id mirifice prodit tuam elegantiam, illi consimilem, qua [d] dudum asseruisti. VER. Relictis autorum dictis ad rationem te confers, cuius vim *mihi* percipi negas (a * me percipi dicere voluisti; error est in grammatica tibi satis familiaris) AS. Minime vero, mi Veruex, hic error est in grammatica, sed græcismus elegantissimus familiaris classicis autoribus purioris linguæ; nam Cicero in Verrem ait, *Is mihi etiam quæritur*, pro, a me; & alibi, [e] *Auditus est nobis Lælij C. filij sæpe sermo*, pro, a nobis. Cornelius etiam Celsus, Medicorum Cicero, scribit, [f] *Gangrenam inter vngues alasque aut inguina nasci, & si quando medicamenta vincuntur, membrum præcidi oportere, alio loco mihi dictum est*, pro a me. Terentius item inquit, [g] *Syrus est prehendendus, atque adhortandus mihi*, pro a me. Virgilius pariter dixit, de Aenea, [h]

Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris: nec cernitur vlli

pro ab vllo.

[c] 12. meta. t. 52.
[d] pag. 58.
[*] vmbr.
[e] de cla. or.
[f] li. 7. c. 33.
[g] in Heau.
[h] 1. Aen.

Con-

Consimiliter demum (ne proferam alios) Ouidius k cecinit,

k 3. de Pōt.

Quum toties eadem dicam, vix audior vlli.

pro, ab vllo. Sic ergo verba passiua loco ablatiui datiuo gaudent apud elegantissimos autores frequentissime; quem Græcismum Latinis classicis familiarem, dum tu in Vlysse damnas velut errorem in grammatica, insulsum pædagogum te prodis. At redeamus ad consimilem tuam futilem pædagogiam, qua scribis Vlyssem male scripsisse, *aliter ac legamus*, quum dicere debuisset, *aliter ac legimus*. Vtroque modo dici potest, si viros doctos, & eloquentiæ parentem consulas; quem si non habea o Criomixe, mutuare tibi ab aliquo pædagogo Nizolium, apud quem videbis Ciceronem dicere, d *Quo maiorem spem habeo nihil fore aliter ac deceat*. Profecto felix est tua grammatica, quæ libertate summa perfruitur, nec vllis legibus vincitur; f *vt in exilium* g *emandaui*, tibi sit latine dictum, quod nec latine, nec vere dictum; quia non *amandasti*: vt, h *Costa ex ossorum* i *numero est*, dixeris; cui & costas, & omnia ossa verbero grammatico tibi pertumpere æquum esset, dum declinas, ossa ossorum; *ossium*; mi Veruex, dici debuit: vt k *ad logicam incudinem* l *remittere* dicas, non animaduertens, in primis nomina & verba declinare vel pueros scire, vt ait Quintilianus; quod tu senex, & decrepitus ignoras; declinas enim incus incudinis, quia scilicet non didicisti,

d Attic. 33

f 115.
g vm. 270.
h pag. 118.
i vm. 272.
K pag. 118
l vm. 272.

Et male tornatos incudi reddere versus;

& libellos tuos. At vero dic, obsecro, cur libros Vlyssis oporteat ad logicam incudem remittere? VER. Cum autem ego dixissem, alimentum conuerti in humanam m carnem, & humanam figuram, tu qui videris natus ad risum in scena conciandum insurgis inquiens satyrice aduersus me, *Sed cur cœlos dixisti nefas esse animatos, qui proprium sibi figuram vendicant?* Expecta parumper, donec risus sedetur: Surget tunc ex Schola puer Dialecticæ tyronum minimus; atque iussus a te hunc ex tuis scriptis conficiet * syllogismum: caro, & figura componunt animal; cœlum non habet carnem, habet tamen figuram circularem; ergo celum est animatum. Dixi tibi, & repetij, & millies reperam, oportere te libros tuos ad logicam incudinem remittere, vt Vulcanus aliquis logicus eos possit reformare. As. Aqualicule, tu in hac scena mythragyrtes, non daduchus es: verumque prodis effatum § Plinij, cui tenuus solertes sunt homines quibus obesissimus venter: In primis enim nil mirum est si puer dialecticæ tyronum minimus, tuque bis puer ex Vlysseo

m vm 273

* vm. 274

§ lib. 11. cap. 37.

scripto

fcripto malum fyllofgifmum conficiatis; namque nec ex Ariftoteleo fcripto bonum fyllogifmum conficere fciretis; quum enim Vlyffes eo loci duas tuas afferat fententias a te diuerfis in libris pofitas, alteram in libro 2. de meteor. microc. cap. 9. ftatuente, *nam femen v.g. hominis, quum hominis pars fit, quicquid accipit, in hominem conuertit, hoc eft, in humanam carnem, & in humanam figuram:* alteram multo prius lib. 1. de meteo. micr. cap. 15. dicente, *Omnia ergo ab intus habere vt nutriantur, non tamen omnia, quæ intus habent vnde generent & nutriantur viuentia dicam, fed quæ propriam fibi figuram vendicant, vt plantæ, & animalia.* Vlyffes hæc duo tua placita confutaturus figillatim, exorfus a confutatione pofterioris huius, in quo folius figuræ meminifti, quæ communis eft animalibus, & plantis, nulla facta carnium mentione; quæ plantis, & animalibus communes non funt; iure tibi cælos oppofuit, quos cenfes animatos nō effe, licet figuram habeant; vnde peritus Dialecticæ Magifter hunc fyllogifmum nectet: Caftrenfi, n omnia habentia propriam figuram, vt plantæ, & animalia, funt viuentia; fed o eidem cæli non funt animati ac viuentes; ergo de fententia Caftroniana, Cæli non habent propriam figuram circularem, vt plantæ rectam, bruta pronam, & homines erectam: vel hunc; Omnia habentia propriam figuram Caftro funt animata; cælum Ariftoteli habet propriam figuram circularem; ergo male Caftro ftatuit cælos non effe animatos. dein Vlyfses aggreditur confutare priorem alteram illam tuam fententiam de carne & figura fimul. Tu vero, quod non raro facis, feu fubdole, vt fucum facias auditoribus, feu potius ab ignorantiam, confutationem vnius placiti refers ad alterum ab eo diuerfum. Ita quidem rem fe habere manifeftiffime conftat ex verbis Vlyffis, quæ talia fuere. p *Ain tu, homo nihil eft aliud, quam humana caro, & humana figura? ita quidem dicebas q antea, dum hæc afferebas, Phyfiologis omnibus dicamne mirantibus, an ridentibus? omnia ergo ab intus habere vt nutriantur, non tamen omnia, quæ intus habent vnde generent & nutriantur, viuentia dicam, fed quæ propriam fibi figuram vendicant, vt plantæ et animalia: Sed et cur cælos dixifti nefas effe dicere r animatos, qui propriam fibi figuram vendicant f circularem, non minus quam plantæ t rectam, & animalia bruta u pronam, & homines x erectam? at hæc de re fuperius. Deinde quomodo totum hominis naturam vnis carnibus et figura determinas?* &c. quibus aliud tuum placitum conuellit. Si ergo tu, mi Trofsule, non intelligis Vlyfsea, quomodo poffis ea reprehendere? Sed ad nebulofas redeamus. VER. Duæ fuperfunt ftellæ, fed

n 1. de met. mic. c. 15.
o 1. de met. mic. c. 10.
p de fer. pag. 262.
q 1. de met. mic. c. 15.
r 1. de met. mic. c. 10.
f 2. cal. t. 22.
t 2. de an. t. 38.
u de an. in. (a). 4.
2. de part. c. 7. 10.
x 4. de par. cap. 10.
y difp. 2.

sed ante illas impropriam quādam locutionem notabo, z Qua-
z pag. 307. re concipiat v. g. equa ex equo, formentur in embryone mem-
a vm. 275. bra equina, nil aliud erit, quam a equus; concipiat mulier ex
b vm. 276. viro, quid accidet in vtero? nempe b nutrietur vnum semen
c vm. 277. ex alio; Ecce tibi in nutritione vegetabilis c anima; incipiat
d vm. 278. embryon moueri, sed adhuc d informe: ecce anima sensitiua,
e vm. 279. quæ introductione sua vegetabilem e corrupit: postea mem-
f vm. 280. brorum distinctio, & figura f incipiat apparere: non retinebis
vlla vi humana conceptum illum, quin subito accipiat formam
rationalem. Itaque cum ais, semen vi animæ suæ procreare con-
g vm. 281. similem animam, vltra g quam h improprie loqueris; neque
h vm. 282. enim semen animam i procreat, neque aliquem ita k loquutum
i vm. 283. vltra hanc improprietatem loquendi l falsò aliquid subtices in
k vm. 284. semine humano, quippe non solum profert formas illas vege-
l vm. 285. tabilem, & sensitiuam, sed m simul etiam profert dispositiones,
m vm. 286 quibus efficitur, vt sub figura humana non n possit stare alia
n vm. 287. forma, quam humana. As. Breuiter has vmbras discutiam. A-
o 1. de par. ristotelem contra Democritum hæc afferens, o *Igitur si anima-*
cap. 1. *lium, membrorumque vnumquodque figura coloreque est, recte De-*
mocritus disserit, qui ex ijs ipsis putasse animalia constare videtur: quippe qui perspicuum esse dicat, qualis forma sit homo, quasi sua ipse homo figura coloreque pateat. Atqui mortuus homo quanquam figuræ formam habet eamdem, tamen homo non est: contra te sta-
tuit sub humana figura posse stare cadaueris formam, quæ alia
est ab humana. Deinde Aristoteles asserens actus actiuorum
p 2. de an. fieri & esse non nisi in patiente p disposito, tibi negat dispositio-
t. 24. nes ab agente fieri simul cum forma; prius, mi Veruex, dispo-
nitur materia fœtus, deinde in eam dispositam introducuntur
animæ vegetalis, & sensitiua. Deinceps falso dicis Vlyssem fal-
so subticere aliquid in semine humano; tum quia falsitas nulla
potest esse in silentio, quum omnis in affirmatione, aut nega-
q præd. c. 5. tione consistat, vt ait q Aristoteles: tum quia nihil opus erat eo
loci tractare de productione dispositionum, vbi locus Aristote-
lis explicabatur, agentis de productione formæ in materia di-
sposita. Quod insuper addis improprie dici, *semen vi animæ suæ procreare consimilem animam*: neque aliquem ita locutum,
ridiculum prorsus est: etenim composita omnia vi propriæ for-
mæ suas operationes edere, proprijssime dicitur: & Aristote-
r 2. de an. les r tibi reclamat definiens animam esse quo primo viuimus:
t. 24. quin & alibi s statuens, oua subuentanea non esse animam, quia
s 2. de gen. carent principio vitæ; id enim a semine maris affertur; quod
an. cap. 5. principium vbi fœminæ excrementum susceperit, conceptus fit.

Sed

Sed & paullo prius hoc euidentius dixerat Aristoteles, inquiẽs *t Semen igitur tale est, motumque habet, & principium tale, vt motu peracto pars existat quaque, eademque sit animata.* Quid est ille motus, nisi generatio? quodnam est illud principium nisi anima seminis? quomodo pars est animata, nisi per animam? tu quidem non improprie loqueris, sed inepte dum ais, *Vltra quam improprie loqueris*. Falso vero dicis, animam rationalem subito suscipi a conceptu, dum in eo incipit apparere distinctio membrorum, & figura; quum rationalis anima non vniatur fœtui nisi penitus organizato, quadragesima die circiter a conceptione; distinctio vero partium, & figura in fœtu multo prius incipiat apparere. Nam * Hippocrates asserit se vidisse in abortu septem dierum aqua dissoluto manus, oculos, pudendum, & alia membra corporis compertissimumque cuiuis est, partes & figuram in humano fœtu incipere apparere multo ante adeptionem animæ rationalis. Nec veritati consentanea dicis asserens animam sensitiuam introductione sua vegetabilem corrumpere; quum formæ subordinatæ essentialiter, se habeant *u* Aristotelis decreto sicut numeri; quorum posterior additus præcedenti, illum non corrumpit, sed perficit, quumque forma vegetalis in fœtu se habeat ad sensitricem, vt dispositio illi subiectam materiam præparans; vt ex Themistio dudum obseruaui; dispositio autem præparans materiam aduentu formæ nõ aboletur, iam sentiens anima vegetalem non destruit. Procul a vero est, Embryonem esse adhuc informem, dum incipit moueri; tum quia motus est actio, quæ postulat, supponitque organa, quibus obeatur: tum quia Hippocratis decreto in hoc, quem commentario dilucidare contendis, libello de Alimento, cum alijs auorum veterum consentiente, non incipit moueri fœtus in vtero nisi post sui formationem, & completam organizationem, omniumque penitus membrorum configurationem; verba Coi sunt, *Ad figurationem soles trigintaquinque; ad motum septuaginta: ad perfectionem ducenti & decem. Alij tradunt, ad formam, quadraginta quinque; ad motum, septuaginta sex: ad exitum, ducenti & decem. Alij sic, Ad formam quinquaginta, ad primum saltum centum, ad perfectionem trecenti. Alij sic. Ad discriminationem, quadraginta: ad transitum, octoaginta: ad elapsum, ducenti quadraginta. Non est et esti* quæ fuit versio Cornarij. Fœsius vertit, *Ad conformationem, soles triginta quinque; ad motionem, septuaginta; ad perfectionem, ducenti & decem. Alij tradunt, ad formam quadraginta quinque; ad motionem sex & septuaginta; ad exitum, ducenios & decem. Alijs ad speciem, quinquaginta;*

t 2. de gen. an. cap. 1.

* de Princ.

u 8. meta. t. 10.

ta: ad primum saltum, centum: ad perfectionem, trecenti. Ad distinctionem, quadraginta; ad transitionem, octoginta; ad elapsum, ducenti quadraginta. Non est, & est. Quia scilicet, non potest præfiniri certum tempus, & quia mares in vtero citius quam feminæ formantur, & absoluuntur. Ad quem locum notat Fœsius, *Omnibus est notum, ista de fœtus conformatione, motione, & editionis tempore accipi, vt motionis tempus duplum conformationi respondeat, & editionis in lucem tempus triplum sit, ad id quo fœtus mouetur. Quod ex Galeni commentarijs ad hunc locum Arabum doctrina in medium protulit, & ex fragmentis Galeni a Rabi Mose collectis ex hoc loco adscribitur.* Tibi ergo cui fœtus incipit moueri, dum adhuc informis est, plane reclamat Hippocrates in hoc opere; quod vmbris obtenebras, dum declarare deberes: at quod non intelligis Hippocratem, nec Galenum hic asserentem, Embryon, dum incipit moueri, non amplius informe esse, sed plene organizatum, atque formatum, mirum non est: mirum tamen est, te non legisse tuæ sententiæ contrariam apud Rabi Mosen in suo libro, cui titulū fecit, Morech Necuchim, idest Dux Neutrorum, & illi non subscripsisse. Multo minus recipiendum est, quod ais, *concipiat mulier ex viro, quid accidet in vtero? nempe nutrietur vnum semen ex alio: ecce tibi in nutritione vegetabilis anima*: tum quia nutritio, quæ functio est vegetalis animæ, est conuersio alimenti in substantiam eius, quod nutritur: modo semē nullum in vtero mulieris vertitur in substantiam alterius; sed vtraque semina coniungantur in vnam tertiam substantiam, quæ conceptus dicitur, in quo prius formantur partes, quarum propria passio est ipsa nutritio. Sed quę semini tribuitur nutritio metaphorica est, & improprie dicta; nec vllo modo est operatio vegetantis animę; sed est attemperatio quędam alterius seminis ab altero; quæ temperatio actio est, non animæ, sed qualitatum operatio. Sed cur non determinas quodnam semen nutriat, & quod nutriatur? Galenus quidem hanc functionem, non absolute nutritionem ab anima prodeuntem, vti tu facis, appellat; sed quid simile nutritioni, & quasi quamdam nutritionem seminis virilis factam a semine muliebri, per actionem qualitatum, ait enim. x *Atque hic est non paruus vsus, quem fœtui femineum semen præstat; quod quum humidius frigidiusque sit, est quasi quoddam alimentum virili semini crassiori, ac calidiori accommodatum.* Quum itaque nutricatio, quæ prodit animam vegetalem, velut effectus caussam propriam, sit actio, non vsus; & vera nutritio, non quasi nutritio quædam; iam ex Galeno constat, errare te, dum vis in fœtu col-

x 1. de sem. cap. 4.

colligere vegetalem animam ex eo, quod vnum semen nutriatur ex alio. Et sane Galenus eo distinguens actionem ab vsu, *y* quod *actio quidem motus quidam est actiuus, vsus vero nihil aliud est, quam quod vulgo appellatur ἰυχρηοία, id est ad vtendum aptitudo quædam*, & alibi, *z Actiones enim motus sunt partium factiui: vsus vero omnibus insunt, vel nihil agentibus*: nutritionem; quæ actio est alentis animæ, non appellabit eum vsum, quem semen muliebre dicitur præstare virili semini, quod eo veluti quodammodo nutriri dicitur: adeoque ex illa veluti quadam nutritione, non arguet tecum in fętu inesse vegetalem animam, sed solum in semine muliebri frigiditatem, ac humiditatem, quæ temperet calorem, & remittat crassitiem seminis masculei, citra vllam animæ functionem. Immo vero tibi sæpissime neganti semen habere vitam & animam in actu secundo, nunc aperte contradicis asserens semen nutriri ab anima vegetabili; nutritio etenim est actus secundus animæ, seu vita in actu secundo. Nec demum illud tibi concedet Aristoteles, in equæ vtero, simul ac formantur membra equina, nihil aliud esse quam equum: quia vbi equam equus impleuerit immisso semine, post conceptum prius formantur quædam membra futura equina, sed equus non est, nisi procedente tempore; prius enim animal est indefinitum, deinde fit equus; en Aristotelis verba, *a conceptum enim inanimatum esse nemo statuerit vita omnibus modis priuatum: quippe quum nihilominus semina, & conceptus animalium viuant quam stirpes, & aliquandiu prolifica sunt: ergo animam in iis haberi vegetalem palam est. Sed quamobrem eam primum haberi necesse sit, ex iis, quæ alibi de anima disseruimus, apertum est. Sensualem etiam, qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, certum est: non enim simul et animal fit, & homo; nec animal, & equus; eademque in ceteris animalibus ratio est; finis enim postea contingit: proprium autem est finis cuiusque generationis*. Quem locum alibi latius non *b* semel explicauit Vlysses. At ad nebulosas accede. VER. *c* Dixi, cibos varios in vnam conspirare naturam; tu conspirare esse ais, quando *plura efficientia vires suas congregant in vnum robur*. Mihi vero obijcis, quod *d* crimen committam, dum plures materias conspirare facio in vnam passionem. Non quidem hoc te *e* Plauti docuerunt manes, qui ait, *Mirum ni senes vicini in vnum nidum f conspirauerint*. Valla te irrideret, qui conspirare diceret hoc est, simul *g* spirare. Sed tua hæc est consuetudo, vt nunquã, ita serio agas, quin ridiculum aliquid admisceas. As. Nullum tibi crimen eo loci obijcit Vlysses, at solum relegat hoc tuum

y 17. de vs. par. cap. 1

z 1. de loc. aff. cap. 1.

a 2. de gen. an. cap. 3.

b 1. de ort. an. c. 48. 49.

2. de im. an. c. 14.

c pag. 308.

d vm. 288.

e in merc.

f vm. 289.

g vm. 290

pronunciatum ad iudicium virorum doctorum & eruditorum. Nec illi vicini senes, qui Plauto conspirauerunt in vnum nidũ, rationem habuere materialium caussarum, sed effectricum; quorum consensus fuit in voluntate; quam efficientis caussæ rationem habere, non autem materiæ, quisque nouit. Et Valla dicens conspirare esse simul spirare; sciens vim spirandi, nec metaphorice, materiali caussæ conuenire, quum actio sit, de te simul cum Plauto dicit in eodem dramate,

Senex quum extemplo est, iam nec sentit, nec sapit.
Aiunt solere eum rursum repuerascere.

Sed proximam tu mihi detege nebulosam. VER. Cum dicam semen membratum, & sanguinem membratum, rides quod tuã grammaticam hęc vocabula non sapiant, & velles vt dicerem
h vm. 291. *h* membrabile semen membrabilemque sanguinem; hocne magis Prisciano arrideret? minime: nam saltem membratum
i vm. 292. a verbo membrari potest duci, quo verbo vtitur Censorinus: sed membrabile monstrum quidem esset, quod *i* nulli progenitori responderet. Tu negas, posse dici membratum semen, mẽbratum sanguinem, quod neutrum eorum sit formatum natura membri: At tu, qui ais semen esse animatum, & scis animam esse actum corporis organici, quomodo negare potes, semen
k vm. 293. esse *k* organicum? Ego vero, qui semen *l* potentia animatum
l vm. 294. esse dico, *m* potentia quoque membratum esse affirmo, quod
m vm. 295 idem de sanguine menstruo dicendum est: vtrumque enim originis nostræ principium principia quædam, hoc est potentiam quandam ad delineationem membrum in se continet. As. Quod habet in se potentiam ad induendam membri naturam perinde membratum dici potest, atque aqua frigida, quæ habet potentiam ad esse-calefactum, calefacta dici potest, mi Veruex, hoc est, ridicule, ne dum falso, ac inepte. Si particulam *potentia* tunc addidisses, ab Vlysse fortassis hac de re non accusatus fuisses. Quod autem ais, semen esse potentia animatum; id omnino tum tibi aduersatur, qui nuperrime dixisti semen ali per animam vegetabilem; quia nutritio est functio rei actu animatæ, non potentia: tum reclamantem habet Aristotelem, qui statuit *n* semina, & conceptus animalium nihilominus vi-
n 2. de gen. an. cap. 3. uere quam stirpes, quum autem stirpes animatæ sint actu; pariter actu animatum esse semen, non autem potentia ille ponit, qui nouit minus tale id esse, quod potentia tale est, quam quod est actu tale: Quique ibidem dicit excrementum feminæ suscipere a semine maris principium, quo animatum fit; tum aperte constituit masculi semen esse actu animatum, qui alibi

statuit omne agens agere quatenus est actu: nec semen menstruo conciliare posset animam, quam actu non haberet. Quod insuper ais, Vlyssem, qui scit animam esse actum corporis organici, dum ponit semen esse actu animarum, debere constituere semen esse corpus organicum: id quidem verum est; sed tu, dum loco membrati substituis organicum, parallogismum efficis ex quatuor terminis, non enim idem est membratum, & organicum; quia idem non est membrum, & organum; etenim membrum est quædam organi species; organum vero multo plura complectitur quam membrum: sane membrum est pars animalis propria figura constans, immo proprie membrum est pars dissimularis, at organi nomen & ratio conuenit etiam partibus similaribus, vt neruis, ossibus, & id generis: quin & spiritibus, immo vero etiam qualitatibus, vt calori, quo velut instrumento anima vtitur ad opera vitæ obeunda, calor vero, & spiritus membra dici non possunt; nec vere caro, neruus, & alia vlla pars similaris membri nomine donatur. Semen igitur Vlyssi, qui ponit id esse actu animatum, est corpus organicum; nam vtitur spiritibus & calore ad prolem generandam; quod ab Aristotele didicit; apud quem, *inest in semine omnium, quod facit vt fecunda sint semina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis facultas aliqua est; sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondet elemento stellarum*; siquidem vt Intelligentia cælo assistens, animaue mundi, vtitur corpore cœlesti velut instrumento ad gubernanda corpora nostraria; sic anima seminis vtitur spiritu, quo semen affluit, velut instrumento ad animandum corpus menstrui, & ad generationem promouẽdam. Qua vero ratione tu dicis a verbo membrari saltem duci posse nomẽ *membratum*; scito prorsus eadem, ab eodem verbo duci posse nomen *membrabile*; quod nihilo minus monstrum est, quam tuum illud nomen *membratum* a Prisciano derisum; Vlysses autem *membrabile* tibi proposuit, non tamquam a se probatum, sed tamquam tuæ barbaræ locutioni non minus conueniens quam *membratum*: *melius*, ait ille, *dixisses, tua consueta locutione, quæ lepores negligit, semen membrabile, sanguinemque membrabilem, quod horum vtrumque intercedente virtute organizationis conuerti potest in membra*. Quare reprobat vtrumque nomen barbarum *membratum*, & *membrabile*: sed tuæ sententiæ barbaris vocibus assuetæ minus refragari monet membrabile, quã membratum. Iam ad finem operis peruenimus, nec vllæ sunt amplius in libro nebulosæ discutiendæ: nunc reliquum est videre,

3. phys. 17.

2. de gen. an. cap. 3.

dere, si quæ tetriores vmbræ locutionem obnubilent, nebulosis minime notatæ. has autem breuiter nunc mihi lubet excutere;
q pag. 276. te; age profer. VER. Deinde q Theodoretum, saltem quatenus
r vm. 296. hebræam primæuam esse negat, complicem r tecum habes; at
s pag. 257. ex complice non potest tibi fauere excusatio. AS. Non inuenio in tota latinitate nomen complicis. VER. Ais s itaque, *Quando, ante turris Babylonicæ molitionem omnes homines iisdem nominibus, iisdemque verbis, & eodem omnino sermone vterentur*: imo
t vm. 297. vero (inquio ego) vtebantur, t non vterentur. AS. Particula *Quando* vtrumque modum recipit, indicatiuum, & subiunctiuum, mi Veruex, Ciceronis hæ phrases sunt, u *Quando Romani*
u de offic. x de senect. y de diuin. z ibid. & de finib. *dona cepissent. Semper x enim in his studiis viuenti, non intelligitur quando obrepat senectus. Aius iste, y quando cum eo nemo norat. Vt, z quando ea loca videamus.* Dabo typographi, vel correctoris
a pag. 247. oscitantiæ, si placet, errorem, quo scribis, a *constituit*, pro *conti-*
b pag. 223. *cuit*. VER. Iam vero cum dicis vrsis, & b gliribus, dum latent,
c vm. 298. non hebetari caloris natiui robur, c improprie valde loqueris, robur enim non hebetatur, sed debilitatur, & sic vel inuitus, tu,
d 299. qui debilitatem caloris dici posse d negas, incidis in foueam, quam parasti. AS. Millies Vlyssem in foueam cadere, sibi foueam fecisse dicis: at si suo currant ordine fata, foueæ tu quidem, quam ille, propior es; quod in primis te a turpissimis, & ab iniustissimis conuicijs deberet deterrere: multorum enim non nisi Deum testem, & Vltorem aduocat Vlysses. Quem negare, dici posse caloris debilitatem, id omnino nego; cedo tu mihi locum, in quo dixerit ille, caloris debilitatem dici non posse: contrarium plane dicit; & in e hoc loco, quem vellicas,
e pag. 86. ait solum, *glires & vrsos poni non debere inter ea, quæ calore debili ob sanguinis & spirituum inopiam hieme iacent, extincto fere calore, veluti semimortua*: at absolute caloris debilitatem non ne-
f pag. 26. gat; sed ponit, dum infit, f *Ego siquidem ostendi, calorem viribus aut æqualibus, aut debilioribus, quam sit humoris vis resistendi, non posse substantiam humidi consumere*. Quod addis, impropriam valde locutionem esse, *non hebetari caloris natiui robur*, quia robur debilitatur proprie, non hebetatur; scias facile dilui; nã Vlysses hebetari non ad robur solũ retulit, sed ad robur natiui caloris; calor autem quo validior, eo simul est acutior: quare non impropria locutio, qua & Salustius vsus est, cui *hebescere virtus capit*, & g Virgilius, cui

g 5. Aen. *Sanguis hebet, frigentque effetæ in corpore vires.*

h vm. 299. Sed nimium tu hebeti es ingenio. VER. Probas ergo, non hebetari h calorem, qua hæc animalia pinguescunt: sed iam superius

rius tibi dixi, pinguedinem fieri occurrente materia membris *i* frigidis, & ibi concrescente; quum igitur substantia, quæ foras effluere *k* deberet, *l* subtus cutem propter densitatem retineatur, ibique concrescat, pinguedo fit: neque tu, qui Aristotelis testimonio vteris, mihi vnquam monstrabis, vbinam ille ab *m* acutie caloris, dixit, pinguedinem fieri, a caloris hebetudine eandem prohiberi. As. Vlysses nunquam dixit Aristotelē censuisse pinguedinem fieri ab acumine caloris, quod tu non latine dicis *acutiem*: nec ab hebetudine caloris eam prohiberi; solummodo dixit, *vrsis & gliribus vere non hebetari caloris interni robur; quum tempore sui latibuli maxime pinguescant* *n* *Aristoteli; et huiuscemodi vehemens impinguatio non fit a calore debilitato. Quin & idem Aristoteles ait ambigi, num vrsi condantur propter frigus, an alia de caussa.* Sed caussam effectricem pinguedinis esse calorem non debilitatum, qualis est in serpentibus & alijs frigidioris temperaturæ hieme latentibus, de quo calore tunc tecum agebat Vlysses, ex Aristotele facile colligitur asserente, *o* seuum, & adipem esse sanguinem concoctum, pingueque esse inter humida commune ignis, & aeris: ideoque nullum animal exangue habere seuum, aut adipem: certum est autem concoctionem fieri a calore non debili; nam ab eo fit inconcoctio *p* Aristoteli; qui debilem calorem appellat nomine frigiditatis: notum est item calorem sanguineorum comparatum ad calorem exanguium esse calorem robustum. Quare tibi non est concedendum, pinguedinem fieri concrescente sub cute substantia, quæ foras effluere deberet; tum quia sola excrementa debent effluere extra corpus, vtiles autem succi debent in corpore retineri; substantia vero illa, ex qua pinguedo fit, excrementum non est, sed sanguis probus: tum quia quum *q* Aristoteli concretio fiat vel a calido exsiccāte humidum, vel ab exprimente calidum: si tu credis concretionem, quæ pinguedinis est generatio, fieri a calore, calor humidum consumens hebes esse non potest, vt est in serpentibus hieme latentibus; quare pinguedo non fiet a debili eo calore: cui sententiæ subscribit aperte * Galenus, tum asserens pinguedinem esse temperaturæ calidæ, tum fieri non nisi in iis, qui bene nutriuntur; bona vero nutritio coctionem exactam supponit; quæ fieri non potest a calore debili. Si volueris a frigido concrescere pinguedinem exprimente calidum; contrarium tibi senties Aristotelem, qui vult pinguedinem fieri per sanguinis coctionem; coctio namque non fit a frigore exprimente calidum, sed a calore. Quod ais materiam generandæ pinguedinis *subtus cutem retineri*, quod

i *vm.* 300.
k *vm.* 301
l *vm.* 302.
m *vm.* 303
n 8. *hist. cap.* 17.
o 2. *de par. cap.* 5.
p 4. *meteo. cap.* 3.
q 4. *meteo. su.* 3. *ca.* 2
* 4. *de vs. p. c.* 9. 11. *si. m. fac. c. de ping.*

r pag. 213. quod supra quoque r dixeras, *subtus cutim retineri*, Priscianus id respuit: quia *subter*, dicere debueras. *subtus* enim aduerbium est, quod casui non iungitur; *subter* autem est propositio postulans accusatiuum. Deinde vero quod scribis pinguedinem fieri occurrente materia membris frigidis, & ibi concrescente, reprobatur, eo quod suppressa caussa præcipua generationis adipis, minus præcipuam, & falsam affers: quum enim pinguedo fiat ex tenuiori sanguine, & habituoso: nisi retineretur hic alicubi, facile tenuitate sua foras efflueret in halitus: retinetur autem a substantia densiori vel cutis, vel carnis: at retentus concrescit in adipem a calore concoquente, non autem a frigore, siue a calore debili: quam sententiam claram habemus apud
f 10. sect. probl. 3. Aristotelem dicentem, f *Cur alia ex animantibus sub cutem, alia intra carnem pinguescere consueuerunt? an quibus densa est caro, iis inter cutem & carnem humor pratenuis cogitur: quod is semper sua natura eminet, atque residet: qui tandem concoctus pingue effici solet: quæ autem carne sunt rariore, cutemque gerunt obuiam, hac opima intra carnem redduntur; quæ vero vtroque modo se habent, vtroque etiam pinguescunt.* cutis ergo densitate sua, non item frigore promouet adipis generationem: & eo magis quo cutis
t 2. de temp. cap. 1. frigida non est, sed temperata, vt ait t Galenus. Sed & caro calido prædita temperamento pinguedinis ortui suffragatur, vt & cutis: falsum est ergo, quod ais pinguedinem fieri occurrente materia membris frigidis, & ibi concrescente. Quod insuper asseris Vlyssem probare in vrsis, & gliribus hieme latentibus non hebetari calorem, quia hæc animalia pinguescant, continet aliquid falsi: quia dixerat ipse, illis calorem non hebetari, quia maxime pinguescunt: audi verba ipsius, *Latentia namque bruta, dum absconduntur, nullam humidi substantifici iacturam perpetiuntur; quare neque caloris diminutionem: licet quæ sunt exiguo calore, caloris eneruationem a potentiori frigore patiantur: at vrsis, & gliribus vere non hebetatur caloris interni robur, quum*
t 8. hist. ca. 17. *tempore sui latibuli maxime pinguescant*, t *Aristotelis*; *& huiusce-modi vehemens impinguatio non fit a calore debilitato*; nam ad multum sanguinem concoquendum, & ad multam pinguedinem generãdam opus est multo, robustoque calore, debilis autem tantæ materiæ subigendæ non sufficit. VER. u *Nutricatio*,
u pag. 196. inquis, *vegetantis est animæ functio, instituta vulgo quidem ad restaurandum id, quod e corpore viuentis absumptum fuerit.* Exulcerat animos tua isthæc insolentia, qua vulgo dici, tu dicis, quod
x vm. 304. a Galeno est dictum: itaque apud te Galenus x vulgaris est homo, vulgares quicumque de arte medica scripserunt, neminem

excipio;

excipio; quippe omnibus, qui de nutricationis necessitate agunt, eam referunt ad y deperditionem substantiæ, quæ hoc vnico subsidio restauratur. As. Ad restaurationem deperditæ substantiæ, mi veruex, non ad deperditionem substantiæ nutricationis necessitatem referunt vulgo Medici; nec *vulgo* debuit animos exulcerare nisi Latini sermonis imperitos; quorum vlceri medicamentum oportunum adhibet Cicero, qui ait z *Quid est vulgo? vniuersos:* Quin & apud eumdem *vulgo* significat idem, quod *passim*; ait enim, a *Saturnum vulgo maxime ad occidentem colunt*. Quare communem opinionem ea particula referens Vlysses, Galenum inter vulgares homines, qualis tu, non recensuit. Sed inter eos, in quorum numero ipse se reponit inquiens, * *Perspicuum autem est, quod etiam intestinorum substantiam ventris nomine complectimur; sic nempe vulgus προγάστορας, & μεγαλοκοίλους, id est, ventre prominulo, et ventricosos appellat.* Ver. Quæris caussam, & nullam aliam inuenis, nisi quod obesus cum sim videor a Galeno vituperari, quippe Galenus hũc habitum c athleticum *multa & solida carne munitum vituperat:* sed quomodo vituperat? tu eius verba refers, quæ sic habent, *& hoc ab omnibus fere hominibus; quoniam omnium verissimum est, adagium decantatur, crassus venter subtilem mentem non parit.* In primis tu habitum d obesum, seu crassum cum athletico, aut vt melius dicas, homines crassi ventris cum athletis e confundis: quod inscite, ac improbe facis. Athleticus habitus redundantiam sanguinis secum affert: & duplice de caussa a Platone, a quo Galenus non dissentit, improbatur; primo ratione finis, quem sibi athletæ proponunt, quippe non optimum finem, sed absolute virium incrementum amant: secundo ratione plenitudinis, propter quam capitis semper aliquas distensiones, atque vertigines reformidant, sapientiæque f studium eorumdem caussam afferunt; quare semper se ægrotos opinantur, neque de corporis habitu queri vnquam desinunt. Hæc & similia sunt, quę in athletas tum Plato, tum Galenus cõijciunt. Habitus vero obesus longe alia res est: imo quemadmodum athletæ sanguinis redundantiam, sic obesi eiusdem inopiam. An nescis crassos ab Hippocrate breuioris vitæ censeri, quam graciles, non ab aliam caussam, vt g Galenus ait, nisi quia crassi paucum habent sanguinem? *angustæ sunt enim horum arteriæ, ac venæ, atque ob id paucum omnino sanguinem, et spiritum habent, adeo vt cum ætate processerint, celeriter in ipsis, vel paruam ob caussam calor natiuus destruatur.* Quomodo ergo confundis athletas sanguine redundantes cum crassis sanguinis paucitate laboran-

y vm. 305.
z pro. Mur.
a de Natu.
* 1. de al. f. cap. 1.
b pag. 124.
c vmb. 306
d vm. 307.
e vm. 308.
f vmb. 309
g 2. aph. 44

h vm.310. tibus? Cum igitur Galenus athletas *h* damnet, nihil ad me, nec
caussam habeo, vt tu inepte dicis, cur cum illo inimicitias ge-
* vm.311. ram sed cum tuis prauis * moribus. Quod si prouerbio com-
i vm.312. muni vtens ait, *i Crassus venter subtilem mentem non parit*, crassi
k vm.313. ventris nomine *k* gulositatem intelligit, a qua ego longe *l* disto,
l vmb.314 vt pote qui fere abstemius sum, nec valde edax. As. An abste-
mius fere sis, & victu parco, docet tua magna corpulentia; do-
cet quod tibi congrue satis imposuisti nomen montis Atho,
quod veteres non nisi eos appellabant, qui essent voracitati s
inexplebilis, vt antea proposui ex Adagiographo, & Atheneo.
Quod vero per crassum ventrem Galenus tibi non pinguem &
obesum, sed voracitatem significet, id plane ridiculum est, tum
quia voracissimos ego noui ventre non crasso: tum quia Gale-
nus eo loci se satis explicat, nam hoc prouerbium affert in
eos, qui habitu athletico præditi sunt, in quibus vt duo repe-
riuntur, ingluuies, & ex ea nata corporis ac ventris crassities;
per ventrem crassum proprie ac per se primo nil aliud intelligit
quam habitum athleticum, & ventrem crassum; licet connotet
ex consequenti, ac veluti signum non gulositatem, vti tu bar-
bare dicis extra omnem latinitatis aream, sed ingluuiem. Quod
Vlyssem ais inscite ac improbe cõfundere habitum athleticum
cum ventre crasso, id Vlysses a te in Galenum dici statuit; nam
Galenus eo loci hominibus habitu athletico saginatis obijcit
inscitiam a ventris crassitie natam, & indicatam: illis enim
m ad Thr. duobus *m* capitibus vituperat habitum athleticum; ac tandem
c. 36. 37. in eum ait, Athletas non posse sapientes esse, quod *crassus ven-
ter subtilem mentem non parit:* quod adagium statim applicat
athletis immediate subdens, *Forsan igitur puluis adhuc solus sa-
pientiam ipsis comparauit; nam lutum, in quo crebrius volutati sunt
quis sapientiæ conditorem esse arbitretur, & sues cernens in ipso
conuolui?* sic ergo Galenus Athletis obiecit crassum ventrem,
* l.11.c.37 quem Vlysses imitatus est vt & * Plinium, cui, obesi, & quibus
venter pinguis est, minus solent esse ingeniosi. Sed quod ais te
inimicitias gerere cum prauis moribus Vlyssis, qui nulli sunt;
n in præf. quodque *n* superius dixisti Vlyssem in disputando venenum
sputasse; norunt omnes esse falsam imposturam; nam ille re-
spuit, quod in ipsum sputasti venenum, & sordes: Memineris
in hac pugna tuas fuisse aggressoris partes, qui lacessiuisti vi-
o pag.170. rum ne nomine quidem te cognoscentem. Sed quomodo nunc
te profiteris inimicum Vlyssis; cuius *o* infra te nec amicum, nec
inimicum asseris? fluxa tibi pariter est & an bigua memoria,
p 2.aph.44 & fides. Quod autem asseris crassos ab Hippocrate *p* Galeno-
que

quę censeri breuioris vitæ, ob sanguinis, & spirituum inopiam; ac proinde contrarium habere habitum athletico; prodit hoc tuam vel ignorantiam, vel fraudem; etenim Galenus in loco abs te citato duas hominum crassorum classes proposuit, alios ait crassos esse a prima ætate, quos citius quam graciles ad mortem peruenire ait, quod ob arteriarum & venarum angustiam paucum habeant sanguinem, ac spiritum, adeoque calorem natiuum facilem extinctu: sed alios præter hos crassitudinem adeptos ponit in ætate adultiori ob victus luxum, quos ait latitudine venarum, & arteriarum pollere, multoque sanguine, ac spiritu abundare; dicit enim, *Qui vero natura quidem mediocres erant, sed victu delicatiore vtentes postmodum crassi facti sunt, ijs, licet caro atque pinguedo adnata sint, venæ tamen atque arteriæ latæ consistunt, atque idcirco in eis calor natiuus maior est & minus obnoxius est extinctioni.* Crassorum nomine, mi Veruex, Galenus, & ex Galeno meus Vlysses, non priores illos vitæ breuioris; at posteriores hos ex lautiore victu crassitudinē adeptos intellexit; quibus apte tribui potuit habitus athleticus, & crassus venter: tu quidem in priorum censu numerari non potes, qui ferme octogenarius es; at inter posteriores collocaris; qui a natura nō crassus, patria extorris in Italiam vbi appulisti empiricus cęca fortuna crumenā implente, victus delicatioris vsu crassus factus es iam adultus carne atque pinguedine adnata adiunctaque habitui athletico. Quod insuper addis Galenum, atque Platonem damnare habitum Athleticum duplici de caussa, ratione finis, qui solum virium robur respicit, & ratione plenitudinis, id etiam tuam vel inscitiam, vel improbitatem prodit. nam referens Galeni sententiam, ea verba dolose subtices, in quibus habitus athleticus dicitur ineptus disciplinis. ea vero sunt, q *Profecto per Iouem, inquit ille (* Plato scilicet *) omnium fere potissimum, si vltra gymnasticam superuacua ista corporis diligentia producatur; nam & domui gubernandę, & militiæ, & sedentarijs magistratibus in ciuitate gerendis incommoda est: præcipuum vero ac maximum, quod ad omnes disciplinas, cogitationes, ac meditationes erga seipsum capessendas difficilis est; capitis semper aliquas distentiones atque vertigines reformidans, sapientiæ studium eorum ortus caussam asserens.* Cur mi Castr-Athos a Galeno relatam sententiam Platonis tam fœde castrasti, & ea parte mutilasti, quæ propositi nostri robur & cardinem tenet? quia fucum de more lectoribus facere voluisti, sed hac sycophantia tuam viris doctis non tegis ignorantiam. Quod habitum athelicum dixeris, id mendum potuit esse typographicum.

q *ad Thra. cap. 36.*

r pag. 125. phicum. VER. r Nec tibi magis fauet Aristoteles, inquiens s

s 4. de part. cap. 10. *Solus homo animalium omnium erectus est: quoniam eius natura atque substantia diuina est: officium autem diuini est intelligere atque sapere: quod non facile esset, si vasta corporis moles assideret: pondus enim tardiorem reddit mentem, & sensum communem.* Sic

t vm. 315. Aristoteles, qui non de hoc aut illo t homine loquitur, sed de

u vm. 316. vniuersa natura hominum: non quidem de u habitu corporis,

x vm. 317 sed de x figura: tu autem nescis quid inter primam, & tertiam

y vm. 318. speciem qualitatis intersit. Philosophus ait, si y homo assideret

z vm. 319. corporis z mole, ineptum esse ad diuinarum a rerum contem-

a vm. 320. plationem, b quod Ouidius c carminibus sic expressit,

b vm. 321.

c vm. 322.

Pronaque cum spectent animalia cetera terras,
Os homini sublime dedit, cælumque videre,
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Hoc autem quid ad rem certe in te quadrat parœmia, *non eodem loquitur sucula qua Menecles:* Autores trahis inuitos, sed nequicquam, ad tuas nugas: non est Aristoteles, quo (vt tu illi impudenter imponis) garrit sed tu Aristotelem ad garriendam inuitas. Nec mirum quod magno Interprete Natura abutaris, siquidem natura ipsa abuteris. As. Hoc certe, quod tu dicis, nihil ad rem; sed quæ scribit Aristoteles, multum ad rem, quam plane demonstrant, Ouidij carmina solam hominis figuram attingentia, nihil de contemplatione diuinorum agentia, nihilque de intellectione humana, quam nos in præsentia tractamus explicantia, frustra nunc a te proponuntur extra propositum. Contemplationem illam tuam, corrige in contemplationem. Aristoteles in loco citato non loquitur de diuinorum obiectorum intellectione; sed de intellectione, deque ipso sapere humano: & diuinitatis dignitatem attribuit, non obiectis intelligibilibus, vti tu perperam facis; verum ipsi facultati intelligenti, ac humano intellectui; vt vel puer prima rudimenta grammaticæ tenens clarissime perspicit ex facili & fluenti verborum Aristotelis a te allatorum constructione; humano vero intellectui Philosophus consueuit passim attribuere nomen

d 1. de an. t. 66. 2. de gen. an. cap. 3. d diuini: ait enim hic, *solus e enim Homo animalium omnium erectus est: quoniam eius natura atque substantia diuina est:* eius, inquit, hoc est hominis, non autem obiecti; de quo nullam mentionem fecerat: addit, *officium autem diuini est intelligere, atque*

e 4. de part. cap. 10. *sapere:* mi Vertex, obiecti officium non est intelligere, atque sapere, sed facultatis, ac intellectus humani; quum obiecti proprium sit intelligi, non intelligere. Quod autem ais, Aristotelem non de hoc aut illo homine loqui, sed de vniuersa natura

ho-

hominum, non est absolute verum; quia sic agit de vniuersa natura hominum, vt simul agat de singulis indiuiduis in ea comprehensis, quare si attributum, quod Aristoteles affert non cõueniret huic, vel illi singularium hominum, nec humanæ naturæ generatim conuenire posset. Quod insuper addis, Aristotelem hic non agere de habitu corporis, sed de figura; constat ex verbis Aristotelicis vel a te relatis id esse falsum; nam perspicue agit & de figura recta corporis humani, & de mole vasta corporis eiusdem: quam tu male refers ad habitum in prima specie qualitatis; quum ad quantitatem referri debeat, vt præstitit Vlysses. Quod insuper infis, Philosophum dicere, *si homo assideret corporis mole*, turpissima est Aristotelici textus corruptio; tum quia solœcismus est *assidere mole*; moli vel ad molam dicendum fuerat: tum quia impropriјssime dicitur homo assidere corporis mole: tum quia dolose tibi satis infestam particulam *vasta* retices: tum quia Aristoteles ait, *si vasta corporis moles assideret*, vastá moles est, quam Aristoteles ait assidere; non autem homo, vti tu dicis: tum demum quia tarditatem mentis ac sensus Aristoteles refert in pondus nimium corporis grandioris, non in figuram; nam inquit, *pondus enim tardiorem reddit mentem, & sensum communem*; pondus autem nihil ad figuram attinet, sed ad vastam corporis molem. Tibi vero figura erecta facit ad contemplationem: prona contemplationi abest: at ego vidi multos rectos corpore iuuenes ingenio parum valere, multos e contra senes curuos mente plurimum pollere: Quin Aristoteli cælum non recta, sed orbiculari figura præditum, § animatum ponitur anima, qua intelligit & appetit summum intelligibile, & appetibile, melius quam homo figuram habens erectam: Aristoteli vero nunc vasta corporis moles, & nimium pondus corporis crassi, & athletici tardiorem reddit mentem & sensum communem. Quare contra te pro Vlysse * militant Plato, Galenus, & Aristoteles in proposito. Sed cur non tentasti solutionem adhibere dictis D. Hieronymi, & Philonis Iudæi, aduersus tuum habitum corporis ab e Vlysse citatis? Quis nostrum hac in re trahat ad nugas Autores classicos: quis nostrum Aristotelem ad garriendum inuitet: quis nostrum abutatur magno Naturæ interprete, iudicent viri docti. VER. f Hinc tuo g cachodæmone ductus in Græciam transis, neque enim sine duce posses illuc peragrare. Barbaros, dixi, humanas carnes deuorare, qui ideo ἀνδροφάγοι dicuntur: hos tu latinè diceres androphagos; cæterum latinè non latinè, nam latino sermone h anthropophagi nuncupantur, seu (quod minus frequens

§ 12. cal. 13.63.

* 12. metr. t. 36. & seqq.

e pag. 81.

f pag. 245.

g vm. 323.

h vm. 324.

quens

i vm. 325. quens est) ^i^ andropophagi. Hic tu magnas excitas turbas, & non audita vocabula componis, vt more tuo ridiculam nobis fabulam quasi in scena agas. Accipe prius quid sentiendum sit. ἀνδροφάγοι & ἀνθρωποφάγοι idem significant: alterum horum
k vm. 326. vocabulum compositum a vocabulo ^k^ ἄνθρωπος, id est, homo: alterum a vocabulo ἀνὴρ, id est, vir. Tu non toleras ista duo vo-
l vm. 327. cabula ^l^ confundi, sed ea distinguis, & nominibus ridiculis a te confictis declaras, & vis vt ἀνδροφάγοι dicantur viriuori, quoniam ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς denominantur, id est *viri*: sed ἀνθρωποφάγοι hominiuori ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, id est, ab homine. As. certe iterum,
m pag. 47. quod olim dixit Vlysses, ^m^ *Tam bene tu græce noris, quam vertis latine*, & tam bene tu contra eum disputas, quam eius propositiones intelligis: non distinguit ille ἀνδροφάγους ab ἀνθρωποφάγοις, viriuoros ab hominiuoris, quasi res diuersas ea nomina significent; quod tu perperam illi nunc imponis; nam asseruit ibi ea nomina eamdem rem significare, nimirum eos, qui carnibus humanis vescuntur, his plane verbis, *Qui carnibus humanis vescuntur, græce dicuntur, tum ἀνδροφάγοι, qui latine Androphagi verti debent, seu viriuori: tum ἀνθρωποφάγοι, qui latine vertuntur Anthropophagi, seu Hominiuori*. Sed tuam fatuam versionem damnat, qua dixeras, *Qui ideo ἀνδροφάγοι andropophagi dicuntur*. quoniam, vt bene tibi obiecit, *nec vllo modo dicitur græce ἀνδρωποφάγοι, nec latine andropophagi*. quum ἀνδροφάγοι verti debeant androphagi, & andropophagi nullius linguæ sint; tu qui hoc nomen minus frequens esse dicis, ostende mihi classicum autorem, vel alium præter te, qui eo fuerit vsus. Ceterum
n pag. 195. vel inde constat tua græcę linguæ peritia, quod non ^n^ semel in
& 245. hoc opere tui *Cachodæmonis* secundam aspiraueris pulso π, & perperam intruso χ: tuus certe Cacodæmon etsi natus ex vtroque parente græco, græce tamen loqui nescit: & Dæmonio Socratis prorsus contrarius est; ille namque quum plurima sciret, laudatus est ab oraculo, quod dixerit, hoc vnum se scire, quod nihil sciret; tuus ex aduerso quum nihil omnino sciat, deridetur a viris doctis, audientibus tete prædicare philosophum & Medicum præstantissimum, autorem celeberrimum, in mundo litterario vertice sidera tangentem, quare & hoc scire, quod nihil omnino nescias. At quod varius habeatur in hoc tuo commentario stylus, id tribuendum est varietati scriptorum, qui ad eum consarcinandum sua symbola tibi dederunt. De naturæ abusu ridet Vlysses, cui nunquam tale quid in mentem venit; an tu, an ille hoc in loco Aristotele abutatur, iudicium sit apud sapientes. VER. Vt autem possit Lector facile assequi, quam do-

doctrina ista tua Bacchanalium tempore scripta * Bacchum * rm. 318.
olet, attendat quæso. Hic tu dicis, § *Simpliciter simul ac desinit* § pag. 98.
*humor radicalis, ilico Medicis esse desinit calor naturalis, qui sine
humore radicali non consistit: pariter simul ac desinit esse calor
naturalis, ilico desinit esse radicalis humor, cuius ille calor est ve-
luti forma: ut nunquam proprie contingat dissolui coniugium caloris
& humoris, dum alterum ipsorum tantum corrumpi accidat, cum
alterum alteri superesse sit impossibile, vtrumque necesse prorsus est
interire, si dissolui debeat calidi naturalis & humidi radicalis con-
iugium.* Hæc sunt tua verba, quibus etiam addis comparationẽ,
quam dixi sumptam ex vxoribus Indorum, quæ simul cum ma-
rito mortuo cremantur. Voluat igitur lector folium retro, &
legat, quæ prius scripsisti. o Dixeram ego coniugium indisso- o pag. 71.
lubile esse, quod fit inter calidum & humidum. Increpas tu
inquiens aduersus me sic, p *Quis vnquam dixerit coniugium id es-* p pag. 97.
*se indissolubile? quis hoc assertum deducat e meis placitis, qui plures
caussas attuli coniugij dissolutrices? & quomodo tu id, quod fit, ais,* q rm. 329.
esse indissolubile? non q nescis omnia orta occidere? Illud tuum
non nescis laudo, quod idem est ac r scis, quasi me interroges, an r rm. 330.
sciam omnia orta interire. scio quidem, sed scio etiam, ea quæ,
non nisi simul intereunt, s indissolubilia dici. Tu hoc negas. At s rm. 331.
vbi nunc tuæ illæ Indorum coniuges carmine celebratæ?

Cum pereunte viro Inda vxor dat se ignibus vri.

Vbi tot præconia t indissolubilitatis coniugij inter virum & v- t rm. 332.
xorem? tantane mutatio, tanta oblinio in vnius paginæ spa-
tio? At scio, quid fuerit, inter vnam & alteram contradicto-
riam scriptionem fabulis animum diuertisti, & in eis totus oc-
cupatus, tui ipsius te obliuio cœpit. As. Mala res est, cum eo
disputare, qui non intelligit ea, quæ confutare conatur. Vlysses
nunquam dixit coniugium inter virum & vxorem, inter calo-
rem naturalem & humorem radicalem esse indissolubile, vti
tu ponis, o Vervex; sed oppositum statuit; asseritque, u *vt nun-* u pag. 98.
*quam proprie contingat dissolui coniugium caloris et humidi, dum
alterum ipsorum tantum corrumpi accidat; quum alterum alteri su-
peresse sit impossibile: vtrumque necesse prorsus est interire, si dissol-
ui debeat calidi naturalis, & humidi radicalis coniugium: eorum
etenim coniugium non est vt Europaeorum, quibus defuncto marito
remanet vxor vidua pergens a rogo viri ad secundas nuptias; sed
vt Indorum, apud quos in eodem rogo*

„ *Cum pereunte viro Inda vxor dat se ignibus vri.*

Quis in his, nisi tu, non videret, Vlyssem ponere dissolutionẽ
coniugij etiam inter ea, quæ simul intereunt? quis, præter te,

putet

putet in his ab Vlysse poni laudes indissolubilitatis cõiugij inter virum & vxorem? dissolui coniugata vult ille pariter, tum dum vno extincto remanet alterum, tum dum ambo simul intereunt; quippe coniugium non est sine coniugatis. Oportet, mi Veruex, Autores intelligere, si velis ipsis apte contradicere. Quod autem ais, te scire, indissolubilia dici nonnisi ea, quæ simul intereunt, hoc plane nescire est: tum quia, quæ nunquam intereunt, indissolubilia quoque sunt; vt Intelligentia, & Orbita cęli: tum quia, quæ simul intereunt, dissolubilia sunt, immo vero dissoluuntur: nonne quæ iuncta semel indissolubilia sunt, ea nexu perpetuo debent simul esse colligata? certe, si sunt indissolubilia: quomodo autem, quæ simul intereunt, ea nexu perpetuo sint colligata? tibi colligata fuerint perpetuo nexu, quæ post sui corruptionem non amplius in rerum natura sunt? Deinde tibi, qui statuis, indissolubilia dici non nisi ea, quæ simul intereunt, duę tabulę, vnam valuarum iunctę constituentes, indissolubiles erunt, etiamsi a seinuicem seiungantur, & seiunctæ mox in vnum rogum inijciantur simul comburendæ. talia certe non nisi veruex effutierit: dissolubilia sunt, mi veruex, tum ea, quæ coniuncta simul intereunt; tum ea, quorum consociatorum vnum interit altero superstite. Quod autem ais, *Illud tuum nonnescis laudo, quod idem est ac scis*, quasi me interroges, *an sciam omnia orta interire*, mirifice prodit tuæ mentis perspicaciam, quæ non intelligit euidentissima: tum quoniam Vlysses non scripsit, *non nescis*, vti tu more tuo falsarius illi semper imponis, sed ait expressis verbis, *non ne nescis, omnia orta cadere?* tum quia nescio quo conscientiæ stimulo, vbicumque tibi verbum *nescio* obijcitur, quasi recalcitres, teque pungi, ac transfigi sentias. Ita est, nescis: nec *non nescis* cum interrogationis nota idem est ac *scis*, sed *nescis*; quippe putas te non nescire pronunciatum in philosophia sancitum, & ab omnibus acceptum. vrgeo. non nescis? (si ita placet, quum secius dixerit Vlysses, *non ne nescis?*) te scire affirmas, adiuras, peieras. Quod tu tam sæpe Vlyssea scripta nuncupas Bacchanalia, ex Baccho & Nemesi ortum ducentia: id quidem verum est, quia Bacchanalia philosophica sunt sapientum virorum recte philosophantium effata; in quorum numero vt olim Plato peroptauit & contendit esse, sic Vlysses in præsentia gloriatur a te, licet ingratijs, nam longe quid aliud cogitasti, numerari: non ne Platonem audis hæc in Phędone dicentem? *Sunt enim quemadmodum dicunt, thyrsigeri quidem multi, Bacchi autem pauci; hi vero vt equidem opinor, non alij sunt, quam qui recte philosophati sunt;*

quorum

quorum quidem in numero esse me, neque inferiorem quidem omni studio conatus sum: An vero recte contenderim, aliquidue profuerim, certo sciemus, si Deus voluerit, paullo post, vt mihi videtur. Tu vero linguæ contumeliosæ maledicæque ardenti thyrso in Bacchanalibus philosophicis obuios quosque viros doctos & probos feriens, inter thyrsigeros cum vulgi multitudine numeraris: Vlysses autē recte philosophiam colens, nec nisi prouocatus concertans, inter paucos cum Platone Bacchus audit egregie. VER. x Accedo ad alterum, quod ex tuis dictis colligebam, videlicet æqualitatem inter caloris & humoris robur, nemine discrepante passim, & præcipua in sano corpore reperiri. Illud passim & y præcipue nescio, cur sit adiunctum, cum z sufficerit dicere nemine discrepante. Sed vis, vt quod falsum est, multa affirmatione magis euadat falsum. As. Hic iam tumet fateris te nescire: te doceo, si potes addiscere, *passim et præcipue* non debere, non posse coniungi cum verbis *nemine discrepante*, sed recte adiungi ad sententiam, æqualitatem inter caloris & humoris robur in sano corpore reperiri: sed nunquā non immerito Vlyssem accusas; nunquam tamen accusas, quin tu flagirium, & aliquod flagris dignum crimen committas illud enim tuum *sufficerit* pro *sufficerit* non solum falsum, sed etiam barbarum est, tuumque præteritum te satis supinum declarat. Sed age nonnulla mores attingentia mihi recita. VER. a Hinc collige, puerum in deserto educatum non aliam vocem posse edere, nisi eam, quam b addidicit; a nullo autem posse addiscere (ex hypothesi) nisi a feris: quare ferarum voces imitabitur, non humanas, vt tu c impudenter existimas, affirmans loquuturum sermone primæuo, potius sermone chymerico. Ceterum si primęuo loquatur (vt iam tibi in hoc faciam satis) non erit d impossibile, primæuum sermonem, quem tu abolitum esse dicis, in vsum reuocare, educatis nimirū in deserto pueris. Fac quæso, & quos tibi tua vxor pariet filios, occultos educato, quos postea primæuo sermone loquentes, per vrbes e circumduces, & maiori tibi lucro erunt, quam philosophastrica f professio, cui parum debes. As. Philosophicæ professioni multum debere Vlyssem, qui ex ea sibi nomen immortale comparauit, norunt omnes sano iudicio viri: sed de tua circumductione filiorum Vlyssis per vrbes ad lucrum non possum ego non valde mirari; tu te virum probum, & perspicacem prædicas, & suades Vlyssi vt eam artem ad lucrum profiteatur cum filijs, quam tu dudum cum Cicchetto filio Citharædo diu per vrbes pharmacopola plateārū exercuisti adeo tenui lucro,

x pag. 71.
y vm. 333.
z vm. 334.
a pag. 181.
b vm. 335.
c vm. 336.
d vm. 337.
e vm. 338.
f vm. 339.

R vt tibi

vt tibi ad vitæ necessaria comparanda necessarium fuerit arti circulatoriæ mendicandi artem adiungere, vel ab auarissimis Hebræis extorquere tibi stipem ad victum? tale consilium, quod Vlyssi das, non decet probitatem, quam simulas. Ceterum nec Vlysses primæuum sermonem in vsum reuocari posse g pag. 137. statuit absolute, quod tu perperam objicis; ast ait, g si vera forent, quæ de pueris Psammethici narrat Herodotus, nunc pueros etiam sermone primæuo locuturos, si nati semper educentur in alto silentio, nullusque prorsus intrudatur per aures infantium sermo aduentitius: at ea non esse vera statim ostendens, iam impossibile censuit in vsum reuocare primæuum sermonem, quem ipse retur abolitum esse. Quod ais puerum in deserto educatum non posse vocem aliam edere, nisi quam addidicit: id absolute falsum est; quia omni prorsus doctore destitutus, etiam ferino, poterit inarticulatas voces cum fletu, & cum risu emittere, passiones internas mœroris & gaudij, seu doloris, & voluptatis exprimentes. Multo magis a vero abest, quod ais puerum illum in deserto educatum, si voces edat, ferarum voces imitaturum, non humanas: nam Vlysses eo loci supponit tum puerum in eo deserto educari, in quo nec feræ sint vllæ, quarum voces audiat; tum etiam puerum loqui posse sermone articulato, cuiusmodi non sunt voces brutorum; quum sermo sit proprius hominum, brutis nullo modo conueniat. VER. Porro a voces a natura sunt, quod colligitur ex A- a pag. 247. ristotele dicente, *Auditus et vox ab eodem initio proficisci videntur*. Sunt, inquam voces a natura: nempe b articulatæ, (loquor b umbr. de humana voce) articulatas dico, non c significatiuas; nam c umbr. quod significatiuæ sint, id habent *ex d instituto*, seu, cum Aristo- d umbr. tele, *ad e placitum*. Posset ergo puer in deserto nutritus voces e umbr. emittere, non inarticulatas (vt tu f inepte ais) si quidem nul- f umbr. lum habet g impedimentum, propter quod articulare nequeat, g umbr. sed articulatas. Ceterum ex defectu disciplinæ, non essent, significantes. As. In primis Hippocrates apertissime reprobat tuum illud placitum, quo statuis voces humanas articulatas esse a natura, dum ait, h *Quemadmodum os, & lingua, & reliquus* h lib. de Prin. *venter, humida sunt. Sermonis porro facultas inde est: totum corpus spiritum intro trahit; plurimum vero in cauitates sibi ipsi accumulat: Is autem, qui per inane foras currit, strepitum facit: caput enim resonat, lingua vero articulat, occurrens in faucibus, obscuransque, ac pellens ad palatum & dentes, claritatem eius facit. Si autem lingua semper occurrens non articularet, non posset homo clare differere, sed singula a natura vnam vocem haberent: huius signum* est,

est, Muti ex natiuitate differere non possunt, sed vnam tantum vocem sonant, etiam si quis spiritum efflans sermonem proferre conetur. vbi satis euidenter Hippocrates contradistinguit vocem articulatam, quam sermonem, & locutionem appellat (vertente Fœsio) & negat mutis a natiuitate, recensque natis infantibus, a voce inarticulata, quam vnam, hoc est indistinctam ac sine partium numero nuncupat, & mutis, puellisque concedit ab ortu. Reprobat hoc ipsum * Aristoteles asserens homines a principio vitæ nullum penitus verbum proferre posse; adeoque nullam omnino vocem humanam articulatam est enim verbum vox humana articulata. Deinde falso statuis voces humanas articulatas non significatiuas esse a natura: nam *blytiri max* vox est articulata non significatiua, vt ait [i] Ammonius, & tamen a natura non est; quia puellus mutus eam edere non potest, nec surdus a natiuitate, nec etiam qui statim ab ortu fuerit altus in alto silentio, neminemque audiuerit eam proferentem. Deinceps falso ponis voces esse significatiuas *ex instituto*, & per hoc differre ab articulatione, quam ais habere a natura; ob rationem nuper allatam. Vlterius Castroniensi plane phrasi scribis voces id quod significatiuæ sint habere ex instituto, & *ad placitum*; quum *ex placito* id habeant; & significent *ad placitum* institutoris. Amplius male dicis puerum in deserto nutritum formare posse voces articulatas: quia si tu puerum mihi ostendas in alto silentio nutritum, qui possit articulare *blytiri max*, tibi palmam cum nuce dedero, mi Trossule. Denique falso dicis, nullum adesse prorsus impedimentum, quo puer ille voces articulatas efformet; nam ex Hippocrate colligimus adesse impedimentum imperitiæ, quod a nullo didicerunt voces articulatas formare, sine articulis distinguere; non enim solum ad significationes vocibus articulatis assignandas doctore opus est, vti tu perperam ais; at etiam ad voces ipsas distinguendas, & articulandas; quod non solum experientia docet, qua certum est aues minores natu discere varias cantus inflexiones articulationesque a natu maioribus eiusdem speciei; sed & Hippocrates in loco proposito, quem ita Fœsius vertit cum Cornario valde conueniens, *Quemadmodum os, & lingua, et reliquus venter, humida existunt. Sermonis autem in homine caussa est, quod totum corpus spiritum intro trahit, cumque plurimum in suas quisque cauitates. Is vero per inane foras pulsus, strepitum facit: Caput enim resonat, lingua vero in faucibus interseptum, suo appulsu format, et ad palatum ac dentes impingens, clarum reddit. Quod nisi lingua suo semper appulsu formaret, non distincte*

* 11. *sc. prob.*

[i] *perih. c. de nom.*

stincte homo loqueretur, sed singula vnam natura vocem ederent. Cuius rei indicio sunt muti a primo ortu, qui distincte loqui nequeūt, sed solam vocem edunt. Neque vero si quis spiritu foras emisso loqui conetur, id facere queat. Quibus euidens est te non recte statuisse voces articulatas esse a natura, nullo doctore; licet etiam sumas non significantes, vt *blytiri max* Ammonij. Sed perge reliquas tuas hisce consimiles sententias afferre. VER. A

h *pag.* 246. [h] specie ducis argumentum ad genus: quippe sic argumentari

i *vm.* 340. cogeris: *Vox non est sermo, sed* [i] *sermo est qui addiscitur, ergo vox non est, quæ addiscitur.* Non aliter diceres, *Animal non est auis, sed auis est, quæ volat: ergo animal non est quod volat.* Putas

k *vm.* 342. ne te argumentum confecisse [k] recte? At tam verum est dicere *vox non est sermo*, ac dicere *animal non est auis*, neque enim genus

l *vm.* 342. potest [l] indefinite negari de specie. AS. Immo vero potest, & debet; nam genus vt genus semper excedit speciem, & ea superius est; inferiora nunquam de superioribus prædicantur quantumuis indefinite sumptis absque signo vniuersali; quod te docuisse poterat Porphyrius, cui species non prædicatur de ge-

m *cap. de spec.* nere. Dum hic vox cum sermone comparatur, tanquam genus cum specie sua, semper comparatur communius & superius cum inferiori & minus communi, quod de illo prædicari non potest, nec indefinite, nec cum signo vniuersali; potissimum a philosopho præstantissimo, qualem tu te esse prædicas. an nescis indefinitam propositionem in materia necessaria æquipollere vniuersali? Etsi particulari æquipolleat in materia contingenti: prædicatio vero generis de specie vicissimque speciei de genere non est in materia contingenti, sed in necessaria; quia iunguntur nexu essentiali, nec alterum alteri accidit, sed inest necessario. Recte vero Vlysses argumentatus est, voces non addisci, nec significare ex instituto. quia solus sermo, qui species vocis est addiscitur: sed tu in argumenti confectione, cur obliterasti particulam *solus*, in qua consistit tota vis rationis? Præterea, nonne scis, generis naturam, formaliter qua genus est, etiā indefinite sumptam esse quid communius qualibet specie sua? at de communioribus minus communia prædicari nequeunt, mi Veruex; neque attributa propria vnicæ speciei sunt communia generi: Quare sic recte syllogizat Vlysses, solus sermo est, qui addiscitur inter voces: Sed vox non est solus sermo: ergo vox non est, quæ addiscitur. VER. Si enim sermo est species vocis, si rursus sermo significat ex instituto, verum quidem

n *vm.* 343. est, [n] vocem ex instituto significare. AS. Quam belle parallogizas? aliud est vox, & aliud vocis species, quare argumentum

nectis

nectis ex quatuor terminis; ex datis præmissis, non vocem, sed vocis speciem ex instituto significare colligitur. VER. Sed quorsum me arguis? arguito omnes, quotquot logicam scribunt, & docent, quos o ita loqui compertum est, imo arguito ipsum Aristotelem, Non ne Aristoteles ait, p in voce circa q compositionem est verum & falsum? nonne idem tibi dat vocem significatiuam r secundum placitum? Cœcus es, mi Satyre, in me gladium paras, Aristotelem percutis. As. At vero tu cœco cœcior non vides Aristotelem tum definientem nomen esse vocem significatiuam secundum placitum, non assumere vocem vt genus, & in sua latitudine, sed coarctatam ad nomen, quod est vocis species, & proprie sermo; nostra vero lis est de voce generatim sumpta sine coarctatione ad certã speciem: tum asserentem, in voce circa compositionem & diuisionem esse verum & falsum, speciatim loqui de voce coarctata ad affirmationem & negationem, quæ vox est, non genus, sed species, ac omnino sermo: Quin etiam non dicere, vocem, sed in voce, nimirum in genere vocis esse circa compositionem, & diuisionem esse verum & falsum: sic dicere possumus in animali circa rationalem, & irrationalem esse Hominem, & brutum: at dicere non possumus animal est homo. Satyrus a re nunquam non dicitur Vlysses in hoc tuo commento? id sibi summum decus est, aduersarij scriptis adeo celebrari, vt procul a populi fæce reponatur inter semideos, qui sublimi feriunt sidera vertice, inter quos olim gloriabatur Horatius numerari; nonne audis in eius Ode prima poetam de se talia continentem?

> *Me doctarum hederæ præmia frontium*
> *Dijs miscent superis: me gelidum nemus,*
> *Nympharumque leues cum SATYRIS chori*
> *Secernunt populo, si neque tibias*
> *Euterpe cohibet, nec Polyhymnia*
> *Lesboum refugit tendere barbiton.*
> *Quod si me lyricis vatibus inseris,*
> *Sublimi feriam sydera vertice.*

Satyrorum namque nomine viros doctrina præstantes indicat, vt Nympharum vocabulo viros eruditos Horatius hoc in loco. VER. Imponis falsa, dum in me hæc iacis verba, t *Quare penetrationem corporum tollit, non vnitas, & identitas quantitatis eorum, quod tu falso reris, at loci continentis æqualitas.* Ego ne reor, vnitatem, identitatemq; quantitatis u tollere penetrationem? imo potius dixi, vnitatem identitatemque quantitatis admittere penetrationem; nonne ego dixi, calidum & humidum se inuicem

o vm 344.
p 1. perih. cap. 1.
q vm. 345
r 1. perih. cap. 2.
s pag. 159.
t pag. 162.
u vm. 346.

inuicem penetrare, quia sub vna & eadem quantitate sunt?
x vm. 3.7 madidus eras inter Bacchanalia quando meum x tractatulum deuorasti. Itaque cum contrarium ei, quod dixi tu me dixisse, ais, falsum mihi imponis, &, vt vno dicam verbo, *Mentiris.* As. Profer mihi quæso, quæ paullo antea dixisti. nam ex illis ad hæc responsionem hauriam. VER. Ducam te per consequentias necessarias, quo nunquam peruenire potuisses. Indiuisibilia non sunt extensa; ergo non sunt quanta, ergo mole carent, ergo
y vm. 343. non occupant spacium, ergo nec locum, ergo non sese impediūt
z vm. 349. y in loco, ergo sunt simul; ergo z penetrantur. Tunc sic, calidum
a vm. 350 & humidum (ex demonstratis) consistunt, per a indiuisibilia. Rursus diuisibilia molem habent, ergo & quantitatem, ergo extensionem in ordine ad partes, ergo extensionem in ordine ad locum, ergo quodlibet diuisibile suum exiget locum, ergo loco, se expellant, ergo non penetrantur. As. Iam tu duarum penetrationum memineris, altera est rerum indiuisibilium, quam ponis, alteram rerum diuisibilium, quam negas: calidum, & humidum ponis sese penetrare, quia consistunt per indiuisibilia; corpora non sese penetrare, quia sunt diuisibilia. Sed, amabo te, quid nomine calidi & humidi significas? anne nudas qualitates? an corporeas substantias? si qualitates, eæ quidem simul esse possunt in eodem subiecto, sed non proprie sese penetrant, nec sub eadem quantitate sunt; at potius quantitas vna sub ijs qualitatibus est, mi Veruex, quia quantitas veluti subiectum substernitur qualitatibus materialibus: quæ in ea insunt, veluti forma in materia; forma vero sub materia esse nō dicitur, sed viceuersa, materia sub forma, qua continetur. Si vero calidi, & humidi nomine corpora significes, iam hæc non erunt indiuisibilia, nec per indiuisibilia consistent, nisi Democrito, & Anaxagoræ subscribendum sit: neque vero confugere tibi licet ad minimum siue indiuisibile physicum, quia id est in loco sibi proportionato, & est quantum, dimensiones habens,
b p. 56.57. ac extensionem. Tu ergo, qui scribis, Asiniastes, b *Adiungit humidum non consistere in indiuisibili, sed latitudinem obtinere, quare non potest cito exhauriri. Imo consistit in indiuisibili. qualibet enim humidi pars quantumuis minima coniunctam habet calidi partem minimam, ita vt sese inuicem penetrent, nec propterea me penetrationem corporum admittere existimes; nam penetratio est impossibilis naturaliter ratione quantitatis, at calidum, & humidum sub vna & eadem quantitate insunt*: hæc inquam asserens, apertissime constituis, tum vnitatem quantitatis non tollere penetrationem qualitatum, seu calidi & humidi, quam admittis, &

con-

contradiſtinguis a penetratione corporum, quam negas; quam dum ais eſſe impoſſibilem naturaliter ratione quantitatis, euidenter eam quantitatem in corporibus tollere penetrationem, cuius oppoſitá penetrationem poſuit in qualitatibus calidi & humidi: ſed aſſeruiſti calidum & humidum ideo ſeſe penetrare, quia ſunt ſub vna & eadem quantitate; modo vni & eidem quantitati nulla eſt appoſita niſi multiplex, & diuerſa; quippe quum quantitati ſimpliciter nihil opponatur; vni tamen multo & eidem diuerſa opponuntur; adeoque vni quantitati & eidem, opponitur multiplex, & varia quantitas: quare dicens Vlyſſes, te cenſuiſſe penetrationem corporum tolli ab vnitate, & identitate quantitatis eorum, tuam ipſiſſimam opinionem retulit in tuis verbis expreſſam, nec aliquid falſo tibi impoſuit. Falſo tibi certe quid impoſuiſſet, ſi dixiſſet, te cenſere, vnitatem & identitatem quantitatis tollere penetrationem ſimpliciter, ac ſpeciatim humidi & calidi; quod vere illum dixiſſe, tu nunc illi falſo imponis: & adeo cæcus es, vt allatis eius verbis, in quibus expreſſe tractat de penetratione corporum, inquiens, *Quare penetrationem corporum tollit, non vnitas & identitas quantitatis eorum; quod tu falſo reris*, non videas te falſo illi imponere, quod aſſeruerit; te cenſere, vnitatem identitatemque quantitatis tollere penetrationem, nulla facta mentione corporum, prout a calido & humido contradiſtinguuntur; qui ea diſtinxeras; aſſerens tum calidum & humidum eſſe indiuiſibilia ſeſeque penetrare, quia ſub vna & eadem quantitate inſunt: tum penetrationem corporum te non admittere, quia ſit impoſſibilis ratione quantitatis: Vlyſses ait de ſecunda penetratione corporum a te negata ratione quantitatis eorum diſtinctæ; tu falſo illi imponis, eum dixiſse, te ponere primam penetrationem tolli ab vnitate ac identitate quãtitatis. Quare tuum illud craſſiſſimum *Mentiris* Vlyſſem non attingit, ſed in caput tuum refunditur, o Vernex: nec Vlyſses deuorauit, ſed reſpuit vere barbaro nomine dignum tuum *tractatulum*. Sed & illæ tuę conſequentiæ, quas neceſsarias appellas, neceſsariæ non ſunt: Quod enim primo dicis, *Indiuiſibilia non ſunt extenſ, ergo non ſunt quanta*: ſimpliciter falſum eſt: nam indiuiſibilia, de quibus loqueris, ſunt calidum & humidum: hæc vero ſumi poſsunt & vt qualitates, & vt corpora, ſi vt qualitates, quum ſint qualitates phyſicæ, ac materiales, a phyſico non poſsunt c abſtrahi a materia & corpore ſubiecto, at in corpore ſunt illi coextenſæ, & quantæ per accidens ad quantitatem ſubiecti; vt ait Ariſtoteles: verum indiuiſibilia, quæ non ſunt extenſa, neque quanta, c 2. *phyſ.* d *cap. de Quant.*

ta,

ta, sunt immateriales formæ, ac indiuisibilia mathematica: Indiuisibilia vero physica, quæ dicuntur indiuisibilia secundum formam, extensa possunt esse, & quanta: si vero calidum, & humidum, quæ nunc vt indiuisibilia ponis, tibi sint, non qualitates, sed corpora; non solum ea non debent dici indiuisibilia, nisi ab eo, qui cum Democrito, & Anaxagora ponit atomos ab Aristotele sæpe confutatas, sed ea necessario extensa sunt, & quanta; quod omne corpus est quantum; & habens necessario tres dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, non potest non esse extensum. Quare illa tua consequentia necessitatem habet in mathematicis, & in rebus immaterialibus; non autem in physicis, & materialibus. Quod addis, *ergo mole carent, ergo non occupant spacium, ergo nec locum*. Vt verum est de indiuisibilibus mathematicis, & immaterialibus; ita falsum est de physicis, & materialibus; potissimum de calido, & humido, de quibus agimus, ob rationes allatas. Quod autem subdis. *ergo non sese impediunt in loco, ergo sunt simul, ergo penetrantur:* prorsus ineptum est; tum quia, quæ non sese impediunt in loco, & simul sunt, idest, vt supponis, in eodem loco, ea necessario locum aliquem occupant, & spacium aliquod: quare tibi, quæ nuperrime dixisti non occupare spacium, nec locum, erunt in loco, in quo non sese impediunt, & in quo simul esse dicuntur, quod dicere est non tantum sibi contradicere, sed etiam futilia dicere. tum quia penetratio est propria corporum in loco existentium affectio, non indiuisibilium locum non occupantium: Tibi vero, si a legione cacodæmonum obsessus esses, & omnes illi spiritus indiuisibiles locum non occupantes essent simul in apice linguæ tuę maledicæ mendacisq; dicerentur sese penetrare; ceterum ego nunquam audiui dari penetrationem Dæmonum. Perge mihi detegere alia loca, in

f vmb. 351 quibus Vlyssem insimulas mendacij. VER. Porro cum ossa, ais, e semine fieri iam omnium consensu, transfugis ab Aristotelis castris ad castra Galeni, & tamen in Castris Galenianis non es recipiendus, siquidem mendacijs armatus incedis: etenim A-

* pag. 122. uicennæ locum, & plura quam vnum Galeni loca citas, in quibus eos statuisse ais, partes albas esse primarias, rubras autem accessorias, cum tamen neque per somnium Auicennas, Gale-

g vm. 352. nus tale quid si vnquam dixerit. Galeni opera vnicuique in

cap. 4 & conspectu sunt: legat, qui velit, & te mendacissimum omnium

seqq. mortalium appellabit. As. Dum asserit Vlysses ossa e semine fieri, non ab Aristotele träsfugit ad Galenum, vti tu putas; quia libello de Perfecta constitutione hominis in vtero late probauit

uit Aristotelem hac in re non dissentire à Galeno. ibi tua satis hæc vmbra discutitur. Prostant quidem Auicennę opera & Galeni, & quòd in illis tu non vidisti dogma propositum, viderunt viri docti, & inter eos apertissime Costęus præceptor, cuius hęc verba leguntur in Disquisitionibus h Physiologicis, *An, quemadmodum solum semen, vt in superioribus disputauimus, materiam prabet inchoationis fatus, & sola alba partes ex semine sunt, vt Galenus recte sentit, ita etiam sola ipsa sunt corporis partes primaria? carnes vero accessoria? Ita quidem sensisse i Galenum apertum est, quum iecoris fabricam fuisse constructam; affuso autem ijs sanguine eius partis carnes constitisse docet. Eodem tendit id quoque, quod* k *nonnunquam carnosas à solidis distinguit: quum enim solida eamdem semper molem in absolutis corporibus seruent, carnosarum moles variatur etiamsi non augeatur animans. Sunt ergo alba partes prima, rubra vero accessoria. An igitur, quia carnes sunt accessoria, propterea possunt restitui, reliqua vero, quia primaria, non possunt restitui?* Visnè verba Galeni ab Vlysse pluribus in locis citata? en primo Galenum dicentem, l *At arteriarum, & venarum corpus, quum prorsus exangue sit, simili modo primam à semine generationem habere verisimile est continuo, vbi id vulua vasorum orificijs adhaserit: quippe quum facillimum promptissimumque sit, vt ex eius substantia, qua lentorem multum habet, talis membrorum species procreetur.* En paullo post eumdem asserentem, m *Quod quum sit, verisimilius venarum initia, qua in vulua sunt, extremis radicum fibris; vena ad iecur per vmbilicum tendens, trunco assimilari potest: atque ita omnes, qua in corpore animalis sunt, venarum fines ramis conuenientius, quam radicibus aquiparabuntur. Sed volui etiam ego aliquando rationem hanc considerare, quomodo possemus dicere primas omnium è semine horum duorum vasorum tunicas fuisse procreatas, qua & in fœtibus, & in perfectis maxima habentur, hoc est magnam arteriam, & venam, qua inter vmbilicum & iecur est: quibus postea discissis, ea, qua in chorio sunt, omnes gignerentur: vt harum fines extremis radicum finibus possent comparari. Verum hac quoque ratione minime efficietur, vt vel iecur, vel cor primo genita esse videantur: sanguinea enim substantia ad sui constitutionem indigent, quam per vasa ad vuluam afferri necesse est. Vnde rursus, quemadmodum superius etiam iam dicebamus, semen opificis rationem subibit: vasa vero hac, quibus sanguinem ex praegnante attrahi ad viscerum procreationem necesse est, primo generabuntur, secundo autem loco post ipsa iecur & cor, quemadmodum domus fundamentum et nauigij carina, construentur. Quo vero tempore seminis vis hac formas, quadam*

h *li. 5. pag. 390.*

i *li. de fœt. for. ca. 2. & 5.*

k *11. meth. 1.*

l *de fœt. form. c. 2.*

m *cap. 5.*

dum etiam alia veriſimile eſt tum his adiacentia, tum inter hæc & vuluam ſita formari. Non enim credendum eſt, facultatem, quæ plantas & animalia fingit, ſiſtere ac ceſſare aliquando, ſed totam omnes ſimul (hoc eſt, continuato tempore) partes et producere & augere: nequaquam igitur, quæ animalia fingit natura, ab aliarum partium fabricatione deſiſtet, ſed & venas & arterias ſemper ſcindendo producet, hiſque alia viſcera, ſicut iecur & cor diximus, aggenerabit, ſimul & conuenientem formam & ſitum aliaque omnia, prout ſingula membra exigunt, apte efficiendo. Omnibus igitur modis conuincuntur iſti, qui ab eo membro, quod primum fuerit formatum, reliqua gigni petulanter aſſerere non verentur: non enim profecto opifex cauſſa, vbi membrum aliquod abſoluit, & fœtu excedit, mandatque ei, vt reliqua proſequatur: neque etiam arteriarum, et venarum corpora videntur e iecoris, aut cordis ſubſtantia progerminaſſe, ſicut e cerebro & membranis medulla dorſi, & nerui. Proinde maxime probabile eſt, quatenus de incertis aſſeuerari poteſt, vim, quæ arterias & venas creauit, eamdem eas ſcindendo omnibus fetus partibus applicare, membraque ipſa proprijs ſedibus vndique affingere. Ex quibus apertiſſime conſtat, Galenum conſtituere in generatione fætus primum oriri venas, & arterias, quæ ab vmbilico tendunt ad locum generandi iecoris, & cordis; horumque viſcerum formationem fieri, quia venis & arteriis vna complexis affuſa materia ſanguinis cogatur, & illis aggeneretur in ſpeciem hepatis, atque cordis; quare partibus albis, adeoque ſpermaticis primarijs, hoc eſt primo genitis aggenerātur ſecundo loco rubræ partes e ſolo ſanguine conſtantes; quæ propterea ſecundariæ nuncupantur. Sed & Galenus inquiens Iecur & Cor ſecundo formari poſt generationem venarum & arteriarum deferentium ſanguinem ad horum viſcerum procreationem, queadmodum fundamentum domus, & carina nauigij conſtrui ſolet, nonne hoc ipſum nobis oſtendit? fundamentum domus fit, compoſitis primo ſolidis lapidibus, inter quorum interſtitia calx ea replens, & inter ſe lapides iungens in vnum corpus; ita cor efficitur ſpermaticis arteriarum, venarumque, ac fibrarum corporibus compoſitis, interiecto ſanguine veluti calce in eorum interſtitia, quo coaleſcente iungantur in vnam duram cordis conſiſtentiam: non aliter carina nauigij fit multis lignorum tignis ex arte inter ſe in longum aptatis, & intertextis; quorum interſtitia tabellis, clauis, pice, ac alijs arcte contignantur in vnum; quo in opere videas hepatis conſtitutionem ex venarum corporibus primo genitis & inuicem intertextis; inter quorum interſtitia ſecundo loco ſanguis affunditur,

ditur, & affusus coalescit cum illis in naturam hepatis. Pariter
in alio loco Galenus ab Vlysse citatus, inquiens; *n At iecinoris,* n 2 *de tem.*
lienis, renum, & pulmonis caro simplicis cuiusdam (in comparatio- *cap. 1.*
ne ad Cordis carnem) *natura circa cuiusque visceris venas, arte-*
rias, & neruos crescens. Cordis simplex carnis natura non est, sed
sunt in eo fibræ, quales in musculis cernimus, quibus caro circumhæ-
ret. Ceterum non est idem fibrarum genus, sed quæ in musculis ha-
bentur, neruorum, & ligamentorum sunt particulæ: cordis propria
quædam fibrarum est species, æque scilicet vt venarum tunicæ atque
arteriarum, itemque intestinorum, ventriculi, vteri, & vesicæ
vtriusque; licet in ijs quoque instrumentis propriam quamdam vi-
dere carnem suis ipsorum fibris circum nascentem. Ex quibus aper-
te constat in membris omnibus ex parte rubra & alba compa-
ginatis, de Galeni sententia rubram partem, quæ caro dicitur,
generari post albam, circa quam rubra dicitur a Galeno nasci,
hærere, crescereque. Id ipsum Galenus repetit alio loco ab Vlys-
se citato, vbi ait, *o Nam primum eiusmodi febris,* hectica scilicet, o 10. *meth.*
propriam partium humiditatem, ex qua nutriuntur, deposcit. hinc *cap. 11.*
vero ad carnosum genus transit, quod circa tum fibrosas, tum mem-
branosas partes solidorum corporum hæret: ita deinde ipsas solidas
populatur. Siquidem in singulis simplicium ac primarum, quas vo-
cant, partium (vt in dissectionibus es contemplatus) alia portio sub-
stantiæ eorum est veluti fibrosa, alia membranosa, alia carnosa: si-
cut exempli caussa quum vena vnam tunicam habeat, & eam te-
nuem, licet fibras in ea inuenire multas, quæ sint araneosis quibus-
dam interstitijs contextæ, quibus vtrisque ipsa propria venæ substan-
tia adnascitur. Hæc alia in alijs partibus habetur; nec vllum com-
mune nomen est nacta. Ceterum docendi caussa nihil vetat, eam
carnosam substantiam voces, vel certe huius particulæ quandam
carnem, quæ in ventriculo quidem sit alia, in iecinore alia, similiter
in arteria, & musculo. Vocatur autem caro tantum ea, quæ in muscu-
lo est; reliquarum nullam homines carnem vocant, præterquam ad-
modum pauci; sed, quæ in visceribus, ceu iecinore, renibus, liene, &
pulmone visuntur, eas Parenchymata (quasi affusiones dixeris) græ-
ce vocant. Vnde pariter apparet Galeno partes rubras, atque
carnosas, quæ parenchymata, & affusiones dictæ, hærere par-
tibus albis, illisque progenitis adnasci, atque affundi; proin-
deque partes albas esse primarias, rubras vero secundarias, &
accessorias. Eamdem sententiam paullo post nobis affert Ga-
lenus in loco postremum ab Vlysse citato, dum ait, *p Ea ex tri-* p 11. *meth.*
bus his partibus completur, ex spiritus, & partium, quæ vere dicun- *cap. 10.*
tur solida, substantia (quas alibi ex semine genitali conditas esse

monstrauimus) et tertia ab ijs carnosa, quæ cuique particulæ est sua. Singula autem iam dictarum trium propriam pro natura sua tum qualitatem habent, tum quantitatem: ac qualitas quidem earum ex congrua temperie humidi, sicci, calidi, & frigidi consistit: quantitas vero solidarum partium par semper manet, sed ijs, qui adhuc inaugentur, numero duntaxat; qui vero absoluti iam sunt, etiam magnitudine: Carnosa vero substantia magnitudo variatur, etiamsi præterea non augeatur animans. Pari modo & spiritus substantia, tantum non quolibet momento, tum minor, tum maior conspicitur. Vnde liquet etiam ex Galeno colligi posse clare, partes albas esse primarias, & rubras secundarias & accessorias, quod illæ semper eædem tota vita seruentur, hæ semper varientur, & veteribus recedentibus, accedant nouæ. Quare dum hæc Galeni loca protulit Vlysses ad confirmandum partes spermaticas seu albas e semine ortas esse primarias, rubras autem e sanguine ortum ducentes esse secundarias, ac minus præcipuas, non mendacem se præstitit; sed tu nunc eum arguens falso mendacij prorsus ignarum te prodis, qui clarissima Galeni loca non intellexisti. Id ipsum dico de loco § Auicennæ; cuius hæc sunt verba clarissima: *Primum membrorum similium est os; quod durum est creatum, quoniam ipsum est corporis fundamentum, et sustentaculum motuum. Post ipsum vero est cartilago &c. Postea sunt neruí, &c. Post neruos sunt chordæ, &c. Post chordas autem sunt ligamenta, &c. Et post ligamẽta sunt arteriæ, &c. Post sunt venæ, &c. Deinde sunt panniculi. &c.* Quæ omnes sunt partes albæ ac spermaticæ, addit, *Postea est caro, quæ est locorum vacuorum impletio, quæ in horum membrorum situ in corpore existunt.* VER. Num

* l. 1. f. d. 5. cap. 1. cor, & hepar erunt partes accessoriæ, ossicula, & neruuli pri-

q vm. 353. mariæ? As. Mi Athos Vmbratice, partes albas cum rubris comparauit Vlysses, non autem cum compositis ex partibus & albis simul atque rubris; cuiusmodi sunt cor, & hepar: compara tu carnem cordis rubram cum eiusdem fibris albis, venisque, & arterijs albis, ex Galeno videbis rubram carnem adnasci fibris, & arterijs ac venis albis præexistentibus: compara carnem hepatis rubram cum venis albis substantiam hepatis contexentibus, ex Galeno disces albas partes prius genitas esse in hepate quam rubras, quæ parenchymata sunt. Vt autem se habet pars rubra cordis & hepatis ad partem albam vtriusque visceris; ita se se habent omnes partes rubræ totius humani corporis ad omnes eiusdem totius partes albas; nam regula est Aristotelis,

t 2. de an. *Oportet igitur accipere, quod est in parte, in toto viuente corpore;*

t. 9. *proportionabiliter namque habet, sicut pars ad partem, totus sensus*

ad

ad totum corpus sensitiuum: quem canonem apte possumus aptare ad præsens institutum; quum igitur rubræ partes hepatis & cordis aggeneratæ sint & accesserint eorumdem partibus albis prægenitis; iam absolute partes rubræ totius corporis dici debent aggeneratæ, atque accessoriæ partibus albis e semine genitis in toto corpore. VER. At in quibusnam repones ſcerebrum, quod album quidem est? As. Nihil ad rem hæc interrogatio, mi veruex; in primarijs; quid inde? VER. Sed dic sodes, vndenam colliges carnem esse secũdariam, ossa vero primaria; num quod ossa formentur prius, quam carnes: at Galenus in eo loco, quem ad probandum ossa esse priora attulisti, ita ait, *t Vnde fieri non potest* (loquitur de fœtu dum in vtero est) *vt aliquod membrum absque substantia sanguinea in ipsis gignatur. Quæcumque tamen alba, et exangues partes sunt, non ita u facile possunt procreari, vt iecinoris caro: celerrime enim viscus hoc e sanguine consistit, vt pote substantia sanguini quam simillimum.* Sic Galenus: neque quempiam puto negare vnquam posse, carnes citius conflari, quam ossa. As. Longe aliud est, facilius, ac citius conflari carnes, quam ossa, quod verum est; ac prius conflari carnes, quam ossa, quod falsum est: nonne, si progignantur ossa die vigesima post conceptum spacio sex horarum, & carnes die trigesima spacio trium horarum, facilius & citius conflabuntur carnes quam ossa, sed tamen prius constituentur ossa, quam carnes? ita, mi Veruex; disce formare instantias de proposito. Et sane ossa gigni ante carnes in fœtu testatus est Auicennas, & ante eum Galenus agens ex proposito de modo, quo singulæ partes fœtus oriuntur, inquiens, eodem tempore ossa generari, quo gignuntur in fœtu tria illa principia, cerebrum, cor, & hepar; adeoque ante carnes, *Temporis vero processu*, inquit, *tria hæc principia, sicut multum inter se distant, ita in totum, quod subinde formatur, animalis corpus germina diffundunt, dorsi medullam cerebrum tanquam truncum producens, cor maximam arteriã, quam aortam appellauit Aristoteles, cauam venam iecur. Quanquam a principio etiam videmus statim, vbi hæc generantur* (Nota) *circum dorsi medullam spinam concrescere eodem modo, quo paullo antea circa cerebrum formari caluariam diximus, nec non circa cor thoracem quasi domicilium quoddam & spatiosum & conclusum: licet hoc sub partus tempora non tam domicilium, quam primum ac præcipuum respirationis instrumentum futurum sit; sed aliquanto posterius hæc fiunt.* & paullo post, *x Sed tempore procedente semen fœtus iam efficitur, continuoque alimento augescens maximam tunc molem adeptum est, quum cor a iecore iam dispertiri, ipsumque per se*

Marginal notes: ſ vm. 354. — t de for. fœ. cap 2. & 1. de na. fac. ca. 10. & 2. de temp. c. 2. — u vm. 355. — x 1. de sem. cap. 5. — x cap. 10.

se proprio munimine inuolui opus est: quum item ventri obducenda est abdominis membrana, et thoraci succinctorium substernendum, sub id tempus quoque & cerebrum geminis membranulis, et medulla dorsi tertia alia operiri necesse est: nec non toti fœtui tota exterior corporis circumscriptio membranea est euasura, vt et ab excrementis, quæ contentura erat amnios, proprio atque innato tegumento fœtum defenderet, & postea carnea aggenerata substantia cutis efficeretur. atque ad hæc quidem omnia fabricanda lenta ac tenaci seminis parte vsa est natura: reliqua crassiore ac terrestri, minusque ad distrahendum idonea in ossium sede deposuit, vt pote quæ vniuersum simul fœtus corpusculum nulla in parte ociosa formabat. Iam vero quum tertium fœtura tempus aduenit, omnes seminis substantiæ partes delineatas distinguere diligenter, ac membra hæc absoluere nacta occasione natura consueuit. aggenerauit igitur, ac circumiecit omnibus ossibus carnes, simulque ipsa pinguissima quoque parte suctu extracta, terrestria atque arida, nec non pinguedine omni prorsus carentia reddidit. atque ex eo, quod extraxit lentem ac tenax singulis, & in capitibus colligamina, quibus inter se connectuntur, & in longitudine circum vndique tenues membranas produxit, quæ circum ossia, hoc est inuolucra ossium nuncupantur; quibus scilicet carnes aggenerauit: vsaque est ad ossium procreationem caloris maxime facultate, qua torreret ea, ac prorsus arefaceret: id quod melius sane ipsis fuit, tum quia dura esse debebant, tum propterea quod omnis, quæcumque inerat pinguis pars, quasi efferuescentium spuma quadam, effundi atque exprimi ita maxime poterat: quà vero in parte carnes prius, quam inuolucris membraneis aperiret, superinduxit, ea in parte minus aridum os totum effectum est: sed tamen ipsa natura ab inuolucris membraneis tenuia quadam tegumenta carnibus protraxit. Quin etiam neruum in subtiliores telis araneis prius fibras diuisum in vnamquamq; huiusce modi membranam dispersit: simili modo quoque ex ligaminibus fibras tenuissimas immisit, quæ vtraque fibrarum genera carne superinducta in vnum coniunxit: exque toto hoc instrumento, in quo hæc machinata est, musculum; ex eo vero, quod ex fibrarum coitione constitit, tendonem effecit. Ex quibus luce meridiana clarius est, Galenum existimasse carnem proprie dictam, quæ solis musculis continetur eodem autore, produci post ossa, tum quia carnes ait semper ossibus aggenerari; tum quia statuit carnem superinduci ligaminibus, quæ nascuntur ex ossibus, quam sententiam euidentissime profitetur alibi dicens, *Ceterum musculorum principia,*
y de suc. bonis. & vit. c.4. *quæ capita quoque vocant, quadamtenus neruorum plus habent, dispersis per hæc ligamentis ex ossibus, vnde initium sumunt, ortis: sub*

ex-

extremum tendines exoriuntur, quos vocant. Si ergo musculi fiunt post ligamenta, quorum fibris filisue aggenerantur affuso sanguine; sique ligamenta, quæ sunt musculorum principia, sumunt *initium*, ac nascuntur ex ossibus; iam necessarium prorsus est ex Galeno post præcipuarum partium, Cordis, & iecoris (quorum non est caro proprie dicta sed parenchyma) generationem oriri ossa ante carnium seu musculorum productioné. VER. si primaria intelligas ossa dignitate officij, iam tibi satis demonstrauit Galenus, carnes totum hominem ab incursantibus [z] tueri: iam vidisti ex Aristotele, ossa facta propter [a] carnes. z *vm*. 356.
AS. tueri homines ab incursantibus, o veruex, non est officium a *vm*. 357.
præstantius, quam sit hominem mouere, rectaque figura donare, quæ sunt ossium officia, nam & durum elephantis corium tuetur animal ab occursantibus; & pinguedo sub cute tuetur hominem ab incursantibus; & tamen pinguedo, & cutis dignitate officij concedunt ossibus. Nec absolute dicit Aristoteles ossa facta esse propter carnes; at ossium finem posuit præcipuum esse motionem animalis; minus præcipuum ac potius vsum, firmitatem ac sustentaculum carnium. En verba Magistri, [b] *Similis natura est ossibus, & venis: utraque enim ex vno orsa continua est: et neque os vllum seorsum per se habetur; sed aut pars continui est, aut tangit, atque connectitur; vt natura tanquam vno continuoque, & tanquam duobus distinctisque ad flexum vtatur: nam si quod os separatum esset, accideret, ut nec officio fungi posset, cuius gratia natura ossium habetur; quippe quod nec flectendi, neque dirigendi caussam vllam praberet, quum non continuum esset, sed interceptum, & ledere proculdubio posset, perinde quasi vel spina, vel spiculum carni infixum*. Quem finem ossium præcipuam affert etiam Aristoteles alibi, dum ponit ossa ratione suarum iuncturarum esse motus localis [c] instrumenta. Sed & paullo post asserens Aristoteles, [d] *Caro circa ossa consistit, vinculis modo fibrarum tenuibus adharens, cuius caussa ossium genus habetur: vt enim qui ex limo aut alia massa humida animal effingunt, firmo aliquo subdito corpore obducunt atque afformant, sic natura ex carnibus animal condidit. ceteris igitur partibus, scilicet carnosis, ossa omnibus subiacent, aut flectendi gratia, si mouentur; aut conseruandi caussa, si immobilia sunt, vt costæ quæ pectus salutis viscerum gratia claudunt. Venter omnium ossibus vacat, ne tumori impedimento sint, qui per cibum ingestum exurgat necesse est; atque etiam ne in feminis incremento partuum obsint*, hæc inquam dicens Aristoteles clare tibi negat, ossa facta propter carnes, absolute; tum quia costas ait factas gratia salutis viscerum; tum quia

b 2. *de part.* *cap.* 9.

c 3. *de* *uit.* *v.* 55.

d 2. *de part.* *cap.* 9.

carnes

carnes multorum musculorum in abdomine nouit, vbi nulla sunt ossa: tum quia ossa omnibus partibus alijs carnosis subiacere dicit, non ipsarum gratia, sed flectendi gratia, hoc est motionis ergo. VER. Si primaria appellas ratione materiæ, scias oportet, partes aliquas sanguineas appellari, non quod ex solo sanguine, sed eo potissimum constent; quemadmodum spermaticæ, quod constent e potissimum ex semine, potius ex seminis f crassamento, quippe in vtero semen, seu mauis duo semina cum sanguine simul permiscentur, seminis vero natura, vt suo loco dicemus, non valde distat a sanguine. As. Adeo distat, vt Aristoteles menstruum sanguinem definiat esse semen impurum; vnde constat seminis vtriusque partes omnes, etiam crassiores, esse materno sanguine puriores, perfectioresque; Quo factum est, vt partes omnes albæ spermaticæ nuncupatæ, ratione materiæ sint rubris puriores, ac perfectiores. Datoque, sed non concesso singulas partes fieri ex materia constituta ex semine & sanguine simul mistis: quum denominatio h fieri debeat secundum prædominans, ideo pars quælibet sequitur naturam sui prædominantis; quum igitur partes albæ, spermaticæ nuncupatæ, habeant in se prædominantem materiam seminalem exiguo sanguine permistam; e contra carnes habeant in se prædominantem materiam menstrualem exiguo spermati permistam; quum menstruus ille sanguis sit impurioris naturę, vnde vocatur semen impurum; iam constat ossa ratione materiæ potiora esse quam carnes. REG. Mea sunt eorum plurima, quæ dixisti, Aselle; tuas iam partes age; nec iterum meas mihi tollas. As. Connexa fuerunt hæc adeo meis, o Regule, vt ea nō potuerim non attingere. Sed, o veruex, alia mihi profer, quæ tu putas esse mendacia Vlyssea. VER. i Conuersio caloris influentis in k fixum specimen quoddam l nutritionis est: tu tamen obnixe negas fixum ab influente nutriri, & quereris, quod id tibi imposuerim, in quo certe m mentiris more solito: nam ego dixi, te concedere fixum ab influente foueri, quod nunc etiam repetis: de nutritione nil tibi imposui. As. Quum calor fixus & implantatus, seu primigenius, de quo loquebatur Vlysses, de sententia Medicorum omnium ab ortu semper dissipetur, licet interrupte, nec in eius locum alimentis quid illi simile penitus reponi valeat, sed quid imperfectius; alioquin vita perpetuari valeret; proinde calor influens non conuertitur in fixum, sed in aliud quid vicarium. Nec metaphorica illa nutricatio, qua fixus calore influente foueri dicitur, ea est, de cuius continuitate litem Vlyssi tu primus indixisti, & de qua tractat

ille

e vm. 358. f vm. 359. g 2. de gen. an. cap. 3. h 1. cael. t. 7 i pag. 49. k vm. 360 l vm. 361. m vm. 362

ille eo loco, quem vellicas; quare nihil ad rem hæc affers. An vero mentiatur Vlysses, dum ait, [n] te falso & absurde supponere ex sua sententia, quæ id penitus abhorret, calorem fixum nutrimento interno foueri, perinde ac influens nutrimento forinsecus assumpto fouetur: eoque falso putare, Vlyssem opinari, calorem influentem conuerti per nutricationem in fixum & implantatum: an potius tu, qui negas te talia imposuisse Vlyssi, satis aperient ipsissima verba tua, quæ talia sunt, o Criomixe, *Scio tamen id, quod ille non negat, calorem innatum ab influente foueri, sed influens calor a quo fouetur? profecto ab aliqua re denuo adueniente, hæc autem est alimentum.* nonne talia dixisti? VER. Ita, quid inde? AS. vel ergo dum ais Vlyssem asserere calorem innatum ab influente foueri; & statim quæris a quo foueatur calor influens, per verbum foueri significas idem vtrobique, vel diuersum: si diuersum, absurdam & ineptam quæstionem proponeres, & æquiuocatione laborares, perinde ac si diceres, calor fixus indies absumitur, sed influens a quo habet vt operetur? si vero, vt constat vnicuique, verbo foueri vteris in vna & eadem significatione; quum tu statuas influentem calorem foueri ab alimento: & alimentum foueat nonnisi alendo; iam certum est, te dicentem, Vlyssem non negare calorem innatum ab influente foueri; prorsus illi imponere, quasi dixerit calorem fixum ab influente nutriri. VER. Quarto [o] loco admittis, posse animal esse sine alimento, quod Aristotelem [p] dixisse ais, dum scilicet alimentum præparatur in ore, & dum fiunt tres coctiones, & tamen esse sine nutritione. Mendacio nititur hæc tua argumentatio, nam Philosophus loquitur de nutritiua anima [q] inquiens, *Nutritiuam igitur animam necesse est habere,* &c. non loquitur de [§] alimento. AS. Nec intelligis Antagonistæ dictum, quod carpis; nec Aristotelis locum affers, quam ipse citauit; Vlysses ait, [r] *alimentum in viuente potest esse non actu nutriens, vt dum præparatur in ore per masticationem, quod notauit [s] Aristoteles, & [t] Auicennas; dum trahitur in stomachum; dum coquitur in ventriculo, dum fit eius altera coctio in hepate; dum distribuitur per venas in vniuersum corpus; & dum tertiam coctionem sustinet in particulis omnibus, antequam in eorum substantiam mutetur.* Quare Vlyssem dicentem, *alimentum in viuente posse esse non actu nutriens:* tu falso ais eum dicere, *posse animal esse sine alimento;* quod longe aliud est. Deinde, quum suum illud placitum probauerit autoritate Aristotelis in margine citata, 2. de par. cap. 3. tu ridicule, ac falso illi imponis, quod alium locum Aristotelis citauerit, nimirum 3. de an. t. 59. in quo, ais,

[n] pag. 117.
[o] pag. 34.
[p] vm. 363.
[q] vm. 364.
[§] vm. 365.
[r] pag. 259.
[s] 2. de par. cap. 3.
[t] lib. 1. f. 2. d. 4. c. 2.

non loquitur de alimento. Sed vt etiam in loco a te perperam allato Magister agit expresse de alimento, dicens, *Haec autem* (hoc est augmentum, status, & decrementum) *sine alimento est impossibile*: Sic falsum est Aristotelem in loco ab Vlysse citato non agere de alimento; sed de nutritiua anima; nam de alimento fuse tractat, nil agens fere de anima nutritiua; tu me cogis eius verba plura transcribere, vt a te Vlyssi mendacium impositum ab eo excutiam, & in caput tuum refundam; ait Aristoteles in loco ab Vlysse citato, mi Sphincter, u *Sed, quum omne, quod augetur, capiat alimentum necesse sit: alimentum autem omnibus ex humido & sicco suppeditetur, quorum concoctio & mutatio nonnisi per caloris vim agitur; fit, vt tam animalia omnia, quam stirpes, etsi non alia de caussa, tamen ob eam rem principium caloris naturale habeant necesse sit: idque ipsum partibus sit pluribus accommodatum, quemadmodum cibi conficiendi administrationes. Prima enim administratio perspicua est, quum per os partesque ore contentas perficiatur animalibus, quorum cibus sectionem desideret: sed hac nullius caussa est concoctionis, sed facilitatem concoquendi potius praestat; cibi enim illa minutatim diuisio facit, vt calor facilius conficiendo expediat: at superior, & inferior venter iam cum calore naturali suo concoquendi officio funguntur. Sed vt os animalis cibi inconfecti meatus est; atque etiam pars ei annexa, quam gulam appellant, cibum quibus data est animalibus vsque ad ventriculum deducit; sic alia quoque adesse principia oportet, quorũ opera membra omnia corporis ex ventre, naturaque intestinorum, quasi praesepi pabulum capiant. Stirpes enim, siue plantae suis radicibus alimẽtum iam confectum ex terra hauriunt; quocirca ne excrementum quidem contrahi in stirpibus solet; terra enim, caloreque eius perinde ac ventre vtuntur: At animalium genus omne fere, sed aperte quae incedunt, quasi terram intra se continent sinum ventris, ex quo vt illae radicibus, ita haec aliquo intercedẽte, cibum assumere debent, donec finem sequentis concoctionis faciant, cibus enim ab oris officio ventri mandatur, hinc membrum aliud capiat necesse est; & quidem ita natura constituit: venae enim per totas lactes ad ventrem tendunt vsque, exorsae inferius. Sed haec ex animalium confectione, commentationeque naturali petenda sunt. Quum autem omnis alimenti, omnisque excrementi conceptaculum aliquod haberi necesse sit, venaeque quasi vasa sint sanguinis, patet sanguinem esse animalibus sanguineis vltimum alimentum: exanguibus vero id esse, quod vice sanguinis habeatur proportionale, quamobrem, quoties cibus non ingeritur, sanguis deficit; quoties ingeritur, augetur; & si alimenta bona assumantur, sanguis integer est; si praua, vitiosus.*

u 2. de par. cap. 3.

Igitur

Igitur sanguinem alimenti gratia datum esse animalibus sanguine præditis apertum ex ijs ceterisque eiusmodi rationibus est: nam ob eam rem sanguis ne tactus quidem sensum mouere potest, sicut nec cetera excrementorum genera: nec vero alimentum sensum mouet vt caro; hæc enim sensum, quum tangitur, mouet; non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est; sed in corde, ac venis, quasi vasis continetur. Sed quonam modo membra ex sanguine sua capiant incrementa, atq; etiam de alimẽti omnino ratione disserere, quam de generatione agemus, locisque alijs aptius est, nunc hactenus dictum sit: non enim plus hic locus desiderat, quam vt sanguinem esse alimenti gratia, & alimenti membrorum caussa exploratum habeatur. Ex quibus apparet euidenter Vlyssem suam opinionem Aristotelico textu bene comprobasse; te vero nec illius comprobationem, nec textum Aristotelicum ab eo citatũ, nec alium perperam a te intrusum, intellexisse. VER. Num x sedere velles apud herum, cuius pane & iusculo victitasti? at herus tuus y Aldrouandus, herus Costæus, herus Pendasius, qui sane cum viris a me nominatis ad mensam sedere poterant, te famulum, qui eis calceamenta soluisti, sibi parem locum habere dedignarentur. Arguis me etiam, quod notam spiritus tenuis omiserim, & cum scribendum foret *ἀσῖται*, scripsi z *ἀσῖται*, & addis vocabulum ita scriptum apud græcos nihil significare, quasi vero a spiratio tenuis si auferatur, auferri significatum dicendum sit. Persuasissime hoc tuo b nepotulo. Palinodiam cantato, ne c eam tua doctrina falsis inficiat dogmatibus. Hæc tu tenuia magnifacis, quoniam magna sunt tuo captui, a quo non minus abhorreo, quum abhorret Castus (sic Castrum dempta littera canina libet appellare) a Sodomita; siquidem natura ipsa abuteris. As. Aldrouandi discipulus assiduus in schola fuit meus Vlysses, in illius domo nunquam habitauit, Costæi, & Pendasij (vt antea quoque dixi) fuit Commensalis; mi Criomixe, neque liuor tibi verum dictauit hac in re; qui rationes non habens, quibus disputes; ad conuicia calumniasque falsas assidue confugis. Ceterum & in græca dictione nunquam non falleris, o Sphincter: tum quia nunc male scribis, ab Vlysse dictum, te perperam scripsisse pro *ἀσῖται*, *ἀσῖται*; quum dixerit ipse te imperite scripsisse *ἀσίται*; tum quia non agnoscis discrimen inter sigma simplex, & sigmata f: namque nunc sigma simplici veteris, quem pridem in Asitia sigma simplici male vsum fuisse notauit in Ferijs Vlysses; is enim tibi non obiecit solam spiritus tenuis omissionem, vt ais; ast in eandem voculam litteræ τ intrusionem; ob quam nomen *ἀσίται* nunc

x pag. 114.
y vm. 366.
z vm. 367.
a vm. 368.
b pag. 369.
c vm 370.

iterum & ego tibi dico nullam habere apud Grecos significa-
d *pag.* 125. tionem. Hæc d tibi minima sunt, & flocci penduntur; sed tamen non decet virum præstantissimum in minimis & cuique notissimis delinquere, illum maxime; qui tot errata Vlysseæ grammaticæ corrigere se profitetur in hoc opere. Sed ain tu, Vertex, quo canone grammaticæ scribis *nepotulum eam*? Sed & restitue suo loco litteram caninam; hac enim sublata, quod tibi maxime proprium est in hoc volumine, in quo nunquam non latras, & mordes. Quæ namque addis de nefando crimine, cuius tu notam non semel inurere tentas Vlyssi, ea vt procul absunt ab Vlysse; sic mores tuos, & educationem tuam maxime produnt: semper enim toto in hoc tuo commento verius quam commentario loqueris de spurcis atque nefandis rebus; quas falso imponis non Vlyssi tãtum, sed etiam plerosque alios viros probos & doctos, eo nomine solum, quod Vlyssis amici sint: loquela vero tua te propterea satis manifestum reddit, quia voces indicia sunt habituum animi; nam ex abundantia
e *pag.* 113. cordis os loquitur. VER. *Ieiunum intestinum*: in e ieiunio septem dierum concreuisse ait autor, tu ieiuni intestini nomine
f *num.* 371. f ventriculum vis intelligi: vbi nam inuenisti hoc ieiuni intestini significatum? certe nullibi. As. Non solum ventriculum, siue stomachum, o Sphincter, sed omne viscus nutricatui dicatum nomine ieiuni intestini dixit Vlysses eo loci ab Hippocrate significari. Quod autem tu significationem hanc nullibi reperiri scribis, hoc aperte demonstrat quam versatus sis in libris Galeni, & Hippocratis, aliorumque celebrium Medicinæ Scriptorum; in quibus habetur euidens hæc intestini ieiuni significatio: ego quidem inueni apud Galenum, & apud Hippocratem intestini ieiuni nomine significari etiam vẽtriculum; nam Galenus primo scribens in hanc sententiam, *Perspicuum*
g 1. *de al. fac. ca.* 1. g *autem est, quod etiam intestinorum substantiam ventris nomine complectimur; sic nempe vulgus* προγάστορας *&* μεγαλοκοίλους, *idest, ventre prominulo, & ventricosos appellat*. Ventre prominulo, & ventricosos dum Galenus appellat habentes magna intestina, intestinorum nomine complectitur etiam ventriculum; quia ventris nomine non potest intestinorum substantia hoc sensu significari, prout a ventriculo contradistinguitur. Deinde Gale-
h 1. *de diff. feb. cap.* 9. nus idẽ alibi tractans de febrientibus hecticis ait, h *Et quid aliud omnino sunt, quam ossa atque cutis, adeo vt si nudato corpore partes ad ventrem attinentes aspicias, neque ex intestinis aut visceribus aliquod superesse censueris, ac præcordia vehemẽter contracta versus thoracem videantur*? Quibus vt certum est viscerum nomi-

ne significari iecur, lienem, & renes; ita intestinorum vocabulo stomachum etiam comprehendi necesse est; qui viscus proprie non appellatur. Hippocrates etiam in hoc ipso libro de Principijs paullo superius afferens, interprete Fœsio, *Venę enim, quę per ventrem, & intestina feruntur, in quibus cibi & potus coaceruantur, vbi hi incaluerint, id quod est tenuissimum & humidissimum attrahunt, crassissimum autem isthic relictum, in inferioribus intestinis in stercus abit. Tenuissimum inquam venæ trahunt ex ventre, & intestinis, quæ supra ieiunum sunt, vbi cibi incaluerint.* apertissime stomachum designat nomine intestini, tum memorans intestina, in quibus cibis & potus colligнntur, & coaceruantur, & a calore concoquuntur; qui proprie colliguntur in ventriculo: tum maxime dicens supra ieiunum esse intestina numero multitudinis; quum præter ventriculum supra ieiunum nõ nisi vnum sit intestinum; quod duodenum appellatur; vt omnes Anatomici confitentur. Quam explicationem collaudat in suis notis ad hunc locum doctissimus Fœsius inquiens, *Aut certe* τῶν ἄνωθεν τῆς νήστιος θερμαινομένων τῶν σιτίων, *simul iungendum, tuncque per* τὰ ἔντερα ventriculus & ἐκφύσεις *intelligentur.* Ceterum & in loco controuerso per intestinum ieiunum Hippocratem non potuisse intelligere secundum tantum e genere stenium, quod peculiari nomine ieiunum dici consueuit, ad aliorum intestinorum differentiam, quia semper vacuus reperiatur; at ventriculum, & omnia ab eo dependentia nutritioni dicata; ipsa verba Senis aperte demonstrant. ait enim Hippocrates. i *Si quis in septem diebus nihil edere aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur. Sunt autem qui ipsos transmittunt, & tamen moriuntur. Sunt etiam quidam qui persuasi sunt vt ne desperarent seipsos fame conficientes, sed comederent ac biberent: verum venter non amplius suscipit: ieiunum enim intestinum in his diebus concreuit, moriunturque etiam illi.* Profecto si nomine intestini ieiuni significaret Hippocrates vnum illud secundum inter tenuia, quod est post duodenum ante ileum appellatum, vti tu putas, non posset ex eius concretione colligere Cous ventrem non amplius posse cibum & potum suscipere; quid enim prohibet solo ieiuno concreto ventriculum, & duodenum bibentis comedentisque viri potulenta & esculenta in se suscipere? Sed si nomine intestini ieiuni significet, vt nos arbitramur, omnia nutritioni dicata, quæ sunt ventriculus, & intestina, addo etiam, gula; quæ septem dierum abstinentia ab omni cibo potuque concreuerint, hoc est, admodum exsiccata fuerint; optime colliget hinc ventrem nihil amplius suscipere: nam vel-

i de prin. in fin.

venter non suscipit nisi ea, quæ ad se trahit allicitue; sed vbi nimia siccitate concreuerit obriguerit que, non potest aliquid ad se trahere. VER. Autoris expositioni ego obsecundans dixi, con-
K vm.372 crescere intestinum ita vt transeunti chylo k adytus non pateat:
l vm 373. tu respondes, meam dubitationem de chylo nullam esse: Quis
* vm.374 tibi l dubitationem mouet ? asseueranter dixi, ieiunum intestinum (quod autor concrescere dixit) ob concretionem * adytũ chylo in iecur occludere: tibi hoc impossibile videtur, sed quare? duplice responsione occurris, quarum neutra oboli est. prima sic; quia chylus per arctissimas & capillares meseraei venas quotidie transeat, nullo negocio permeare poterit intestina septem dierum ieiunio constricta. Sępius repetam, te ne e limine quidem logicam salutasse: fiet enim e tuis dictis hęc argumentatio; Chylus per arctissimas & capillares mesaræi venas quotidie transit; ergo poterit transire per intestinum
m vm.374 m longo ieiunio concretum. nullamne putas maiorem occlu-
n vm.375. sionem esse in intestino concreto, & n cohærente, quam in venulis licet arctissimis, attamen apertis? Deinde etiam chylus
o vm.376. transit sua innata o doctrina, corpore secundum naturam se habente, per venas mesaræi; ergo transibit in statu præter naturam per intestinum concretum? As. Has primo discutiam vmbras, deinde quas iacis postea. In primis te aditum ab adyto non distinguere, elegantia est tuæ grammaticæ. Deinde dubitationis nomen aptari non posse argumento aduersarij asseuerranter contradicentis, peritia est tuæ philosophiæ, quæ non
p 1. phys. t.71. consentit p Aristoteli veterum argumenta, asseueranter sua dogmata comprobantia, dici dubitationes. dubitatio est, mi Sphincter, etiam argumentum contradicens esseuerant er allatum, quod dubiam doctrinam vel aduersarij reddere videtur, vel propriam parit. Deinceps omitto peruersionem textus Antagonistę, qua mutas ieiunium septem dierum in ieiunium longum; quum Vlyssi longum non sit ieiunium septem dierum, qui ponit ieiunium multorum mensium, & annorum; animaduerto te falso corrumpere textum Hippocraticum; in quo loquitur de intestino concreto, tu vero addis, *et cohærente*: quæ namque concrescunt, ea sunt, quæ rigent, ac exsiccantur; talique concretione indurantur; at non necessario si caua fuerint, vt intestina, cohærent. Sed & hoc tibi demus gratia disputationis; nonne cohærere sic debet intestinum ieiunio septem dierum concretum, vt intra se retineat spacium inane latius,
q de nat. Deo. quam illud est, quod in vena capillari secũdum naturam inest? tu quidem negas; at affirmat ex aduerso Cicero, cui; q *Attomi inte-*

interiecto inani cohærescunt tamen inter se. Sic apud Hippocra-
tem intestinum ieiunum dicitur concretum, ac si placet cohæ-
rens, dum adeo constringitur, vt ex ampla capacitate cogatur
in minutissimam capacitatem capillaris venæ. Quare necessa-
rio collegit Vlysses chylum nullo negocio permeare posse in-
testina septem dierum ieiunio constricta, qui quotidie per ar-
ctissimas & capillares meseræi venas pertransit. Sed hac in re,
quod ais, chylum transire sua innata doctrina, corpore secun-
dum naturam se habente, per venas mesæræi; at non ideo dari
transiturum in statu præter naturam per intestinum cōcretum:
non vnica ratione peccat: in primis, chylus non transit sua in-
nata doctrina per arctas meseræi venas; tum quia nemo docuit
chylum pergere per venas; tum quia chylus non sponte sua
(quod forte significas innata doctrina pariter & inepta meta-
phora) sed pulsus ab expultrice ventriculi, vel potius attractus
a venis, & a iecore, facultate sugente: si namque iecur venæ-
que meseræi non attrahent sibi chylum: sique stomachus chy-
lum non expelleret; nulla sua innata doctrina per venas ille
meseræi transiret; sed in stomacho stagnans resideret. Deinde
status iile præter naturam intestini concreti, ob quem chylus
per illud non transit, non est, o Criomixe, nimia constrictio for-
maliter, sed abolita vis attractoria; quod indicat Hippocrates
asserens, quia ieiunum intestinum concretum est, ideo venter
nihil amplius suscipit; venter inquit; hoc nomine significans
ventriculum & intestina omnia in imo ventre sita; sed tibi dice-
re debuerat, ideo intestinum concretione cohærens nihil am-
plius suscipit, ac in se admittit. Perge vlterius. VER. Verum
ad alteram tuam responsionem transeo, qua dicis, Tum maxi-
me, quia in septenario ieiunante ventriculus adeo concreuit, ac
riget exsiccatus, vt edulia non admittat, neque coctionem mo-
liatur vllam; adeoque nullum omnino chylum generet: quare
chylo non existenti frustra ego dico occlusum esse transitum ad
hepar in abstinentia septimæ diei. Hic omitto grammaticam
bellam, qua r *Septenarium (ieiunans* dicis: commata, & puncta, r tm. 377.
quæ semper s male collocas; has minutias tuis pueris corrigen- s tm. 378.
das relinquo. Ad rem accedo; frustrane u ego dico, occlusum t tm. 379.
esse iter ad hepar in abstinentia septem dierum? imo frustraris u tm. 380.
tu, cum ita sentis: nam in primis exponere verba auctoris con-
tra autoris mentem inane quidem est, verum si non expositio-
rem agis, sed noui dogmatis inuentorem, scito te in hac hęresi
nullum x habere posse sectatorem. Nam intestinum quidem, x tm. 381
vt autor voluit, concrescit, quia facilis concretionis est, ob ra-

tiones

tiones a me superius assignatas. As. Grammatica, qua dixit Vlysses septenarium ieiunantem, bellissima est, mi Sphincter; æmulatur enim y Virgilianam, qua loquendi compendio, ac eleganti tropo similiter

y Aenei. 8

Nec minus Aeneas se matutinus agebat.

Ceterum & apud Græcos, a quibus, in philosophia præsertim, traduxisse licuit, eadem loquendi forma frequentior est:

z Idyl. 10. Theocrito z namque

Ἀλλ᾽ ἐγὼ ὦ Μίλων ἔραμαι σχεδὸν ἑνδεκαταῖος,

At ego o Milon amo fere vndecendius.

a 7. epid. in fin.

& a Hippocrati, *ἑβδομαῖος ἀπέθανεν*, *Septenarius obiit*, postquam septem dies ægrotasset. Quæ notauit etiam eruditus de la Cerda apud Virgilium; quem tu videre debueras, vel ille, qui tibi correctiones hasce grammaticales dedit. Sed hæc eruditiora sunt, quam vt a vobis percipi possint: nam vbicumque Vlyssem errorum grammaticæ falso accusas, tu ibidem turpiter erras: *septenarium ieiunantem*, dicendum tibi fuit: solœcizas enim dicens *septenarium ieiunans*. An vero commata, & puncta male ponat Vlysses, iudicet Aldus. In abstinentia septem dierum nullum omnino chylum in stomacho gigni certum est; non existenti vero chylo frustra occludi iter ad hepar concretione ieiuni intestini, nihilo minus verum est, quam non existenti vulpi frustra est laqueum in insidijs tendere. Immo vero frustra fuerit solius intestini ieiuni concretione chylo viam occludere ad hepar; etenim hepar sibi sugit chylum per venas meseraicas non solum ex intestino ieiuno, sed etiam ex duodeno superiori, & ex ventriculo. Quod autem ais, Vlyssem solum sine socio intestini ieiuni nomine ventriculum in hoc Hippocratis loco intelligere, iam ostendi falsum esse, nam Fœsium sibi consentientem habet, & Galenum. Ver. Quid me accusas, quod doctissimum Mercurialem appellaui quemdam neotericum? sane non accusares, si legisses apud b Ciceronem hæc verba; *Quidam ex aduocatis homo, et honoribus populi ornatus, & summa virtute praditus*. eius non en ad marginem annotaui vt aliorum doctissimorum etiam nomina. As. Cicero quemdam hominem honoribus populi ornatum & summa virtute præditum dicens, vsus est particula *quidam* ad significandum hominem certum; sed tu Mercurialem quemdam neotericum appellans absque vllo dignitatis vllius adiectu, in re litteraria ignobilem contemnendumque eum significasti, qui tuæ opinioni aduersatetur: aliosque viros doctissimos, quorum nomina notasti ad marginem, semper contumeliose recipis, ac irrides;

b pro Clu.

des. nam, Manardum notans, [c] ais, *Quidam reparari, ait, ex odore non solum spiritus, sed & membra solidiora:* in quem mox affers, *Scire tamen deberet*, &c. *Prauidit ille hanc responsionem, & fugiens se contulit ad extremos Indiæ fines* &c. & mox, præter Manardum, Rhodiginum, & Ficinum etiam sic irrides, *Quod si solis odoribus nutriremur, felix esset coquorum conditio agentium inter ollas, & verua. Et caupo ab hospite ob odorem in culina naribus haustum iure pretium exigeret. O ingens pauperum solatium, qui ad diuitum culinas si accedant solo odore nutrientur.* Nec minori Argenterium excipis irrisione, dum inquis, [d] *Nec etiam carius victum emunt, qui solo aere nutriuntur.* & mox. *igitur autor iste, qui alios vult aere pascere: dignus esset, qui solo aere pasceretur, & in illum Seueri Imperatoris sententia quadraret, fumo pereat, qui fumos vendidit.* Nec inclyto Bonamico parcis, quem licet magni nominis Philosophum appelles, illi tamen obijciēs memoriæ lapsum ais, [e] *at tu bone vir tui memor esto:* bonus enim vir sic dicitur per contemptum. Insuper Iouberti, & Simonis Portij dicta abs te relata sic tu sugillas, [f] *Hæc ab vtroque istorum dicta quis sine risu excipere queat?* Præterea scribis, *Insanit* [g] *quippe hac in parte Vallesius, inquiens* &c. Ita quidem tu viros hosce doctissimos excipis cum laude Asitiastes: At vero Macrocosmista non melius agis. nam Galenum, vt alibi notaui, non semel dicis esse [h] peruicacem, [i] proteruum, turpiter [k] philosophantem, & [l] pertinacem; Capiuaccium scommate [m] vaccini capitis notas; Aristotelem ais afferre comparationem indignam, [n] quæ inter philosophos versetur; Montanum appellas [o] ignorantem; Claudinum ais non intelligere verba Galeni, sed ea [p] turpiter interpretari. Quæ satis indicant quomodo tu Mercurialem exceperis, dum tibi reclamantem, quemdam neotericum appellasti? VER. [q] Itaque, ais, cum Hippocrates dicat *ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines.* illam particulam *aliquando* indefinite cum breue, tum longum tempus connotare. Video homines multum scire de ijs rebus, ad quas eos innata procliuitas deducit. Tu vero naturaliter ad grammaticas considerationes videris natus, & tamen nihil minus scis quam [r] Grammaticem. Putas *aliquando* & *aliquandiu* vnam & eamdem rem esse, cum sint diuersæ; nam *aliquandiu* connotat tempus, quod tu [s] *aliquando* connotare dicis, *aliquando* autem idem est atque *interdum*. Significat etiam *aliquando* idem quod *tandem*. Atque hæc sunt [t] synonima *aliquando*, *nonnunquam*, *interdum*, *tandem*. Quare non consuluisti tua Dictionaria, antequam argumentum haurires ex [u] Grammaticæ fontibus?

c *de Asi. cap. 1.*
d *cap. 3.*
e *cap. 5.*
f *cap. 6.*
g *cap. 12.*
h *1. meteo. cap. 17. & lib. 7. c. 3.*
i *cap. 51.*
k *libr. 3. prælud.*
l *lib. 4. c. 12*
m *l. 2. c. 5.*
n *l. 2. c. 10.*
o *li. 3. c. 9.*
p *l. 4. ca. 2.*
q *pag. 84.*
r *tm. 381.*
s *tm. 383.*
t *tm 384.*
u *tm. 385.*

V

tibus? As. Immo vero consuluit Vlysses non solum Dictionaria, sed etiam Aristotelem, & hunc maxime imitatus est; qui tum

x 1. phys. t. 58. 61. ducit argumentum ex x grammaticæ fontibus: tum asserit,
y 4. phys. t. 123. y *Ipsum autem Aliquando, tempus est determinatum ad prius, & posterius nunc: vt aliquando capta est Troia, & aliquando erit di-*
z t. 124. *luuium.* & z mox. *Si vero nullum tempus est, quod non sit aliquando, omne erit tempus finitum*; quod ipse censet absurdum dicere.
a pro Mil. Sed & Ciceroni, a *Erit illud profecto tempus, & illucescet aliquando ille dies, quum tu* conuictus fateberis *aliquando* viris doctis significare, seu connotare tempus. Id & Ciceronianus ille Nizolius aperte testatur, apud quem, *Aliquando, alias, nonnunquam, interdum, quodam tempore, tandem, aliquo tempore*, sunt synonyma; e quorum numero tu dolo malo sustulisti duo illa, *quodam tempore, aliquo tempore*. Calepinus etiam *Aliquando* Hispanice vertit *en qualche tiempo*, & tu Hispanus non vis *aliquando* tempus vllum connotare? & alius editionis Calepinus ait, *Aliquando significat idem quod nonnunquam, interdum, quodam vel aliquo tempore.* Sed, obsecro te, dic mihi quam Orthographiam, quam Grammaticam, quæ Dictionaria consulueris antequam scriberes *synonima*, pro *synonyma*? & *grammaticem* pro *grammaticen*? nullam vnquam, mi Sphincter, grammaticæ partem attigisti, sine qua nihil iam scire, nihil iam recte dici potest. Ver. Cur me tam sæpe Sphinctetem appellas? nomen id musculi, non hominis est. As. Et musculi, & hominis tui, mi criomixe; siquidem Sphincter dicitur ille musculus qui cingens in orbem orificium intestini recti, vnde prodeunt e corpore fœces, appellatur ideo corona, græce στέφανη; tu vero Stephanus ille quum sis, e cuius ore semper prodeunt sordidissimarum lædoriarum fæces, aptissime Sphincter appellaris.
b pag. 252. c vm. 386. Ver. Non b bene me nosti: reperisti nempe hominem valde ambitiosum, me, inquam, de rebus meis semper c humiliter sentientem, non tamen adeo, vt vel tibi, vel tuo compari Guastauinio compar fieri patiar. As. Tu de te, tuisque rebus semper humiliter sentis? qui te Philosophum & Medicum præstantissimum, & dignissimum antecessorem iactas; qui te montem Athon, & vertice sidera tangere dicis? qui te celeberrimum au-
d pag. 188. torem concinis, qui te ais de facultate medica d optime meri-
e pag. 312. tum, talemque notum Europæ vniuersæ? qui te dicis e feliciter
f vm. 387. rationibus demonstrasse multa in libro de Meteoris microcosmi, quæ viris doctis eruditioni esse possunt, inter quæ qualitates primas de mundo f abstulisti; & vniuersam Europam tuæ doctrinæ testem appellas? qui tuum tractatum de Asitia dicis

ab omnibus appellati g margaritam? sed tamen afferre neminem potes, qui tali dignetur honore illum abortum ægræ mentis tuæ. Quod Vlyssem comparem facias Iulio Guastauinio, viro nimirum nobili, probo, docto, & erudito, vno verbo, viro vere præstantissimo, id veritas expressit ingratijs ex ore tuo. Quod huiusmodi viris tu compar fieri non solum non patiaris, at neque possis, neque debeas, id etiam verum est; etenim multo infra talium hominum conditionem iaces, o Veruex. At vero nunc age profer alia, quæ Vlyssi obijcis. VER. In h primis duo significari posse caloris naturalis nomine, i imaginaris, vnum est vniuersum misti temperamentum, in quo sunt quidem cum calore omnes aliæ qualitates primæ; sed quia ceteras calor, veluti materiam forma, continet, k Aristotele autore, ideo a l nobiliore parte denominatione facta, quia vnumquodque quod m est in eo summum, eidem Aristoteli totum temperamentum calor appellatur. Recte ego dixi, te effutire. Nonius namque grammaticus effutire exponit pro dicere cum mendacio: at tu hic cum n mendacio dicis, Aristotelicum esse id, quod ne somniauit quidem Aristoteles, vt vnusquisque videre potest. AS. Vlysses quidem duo in Aristotelem retulit: & Aristotelis loca citauit distincta in margine sui voluminis: tu vero primum Vlyssis verba mutilas in sententiam nullius sensus capacem; dum enim ipse scribit, o Aristoteli vnumquodque esse id quod in eo est summum, tu suppreso loco Aristotelico, dicis Vlyssem dixisse, Aristoteli *vnumquodque quod est in eo summum.* Deinde negas Aristotelem ne somniasse quidem ea, quæ illi nunc imponit Vlysses: certe primum Vlysses Aristotelem asseruit, calorem ponere continere qualitates alias, veluti materiam forma continet; connotato loco, in quo hæc verba leguntur, p *Quapropter in omni composito* misto *omnia simplicia inerunt. Testificari autem videtur & nutrimentum vniuscuiusque: omnia enim nutriuntur ex eisdem, ex quibus sunt: etenim quæcumque viderentur vno solo nutriri, vt aqua planta, multis nutriunt: mista est enim aqua terra: ideo agricolæ tentant, quum miscuerint, irrigare. Quoniam autem est, nutrimentum quidem materia, quod autem nutritur, comprehensum cum materia forma, & species; rationabile iam solum simplicium corporum nutriri ignem omnium, ex seinuicem generatorum; quemadmodum & priores dicunt: solus enim est & maxime ipsius forma ignis, quia natus est ferri ad terminum; vnumquodque autem natum est ad suam ipsius ferri regionem; forma autem, & species omnium in terminis. Quod igitur omnia corpora ex omnibus constituta sunt simplicibus, dictum est.*

g pag. 139.
h pag. 184
i 4. de hist. 9. d. 51.
a l. 21. c. 91
k 2. de ge. & cor. t. t. 50.
l vm. 388.
m vm. 389
n vm. 390
o 10. ethic. cap. 7.
p 2. de gen. t. 50.

Ex quibus aperte constat, tum ignem in mundo erga cetera elementa habere rationem formæ, quia ea continet vt terminus: tum eamdem similiter in singulis mistis elementa cetera continere, vt materiam forma continet: ignis vero nomine calorem ab Aristotele significari, & vt ignis in misto se habet ad reliqua elementa, sic se habere calorem ad alias qualitates in temperamento, notissimum est. Secundum vero, quod Vlysses attulit ex Aristotele fuit; vnumquodque esse id quod in eo est summum, hoc non quidem somniauit, sed expressis verbis Aristoteles asseruit inquiens, q *Neque vero oportet, quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque quum sit homo, humana; & quum sit mortalis cogitare mortalia: sed quatenus licet, immortalem se reddere, omniaque efficere, vt ex præstantissimo omnium quæ in ipso est, vitam traducat: nam licet id mole sit paruum; vi tamen, & pretio omnia longo interuallo excellit. Id autem esse etiam vnusquisque videretur, siquidem præcipuum & melius est: quocirca absurdum esset, si non suam quisque, sed alicuius alterius vitam expeteret. Quodque dictum superius est, nunc etiam conueniet: quod enim natura vniuscuiusque est accommodatum, id præstantissimum, ac iucundissimum vnicuique est: ergo etiam homini vita, quæ ex intellectu traducitur; siquidem maxime id homo est.*

q 10. ethi. cap. 7.

Quibus qui non videt Aristotelem constituere, hominem esse Intellectum, quia intellectus est quid summum ac præstantissimum in homine; ac omnino vnumquemque esse id, quod in eo est summũ & perfectissimum; ille parum certe, vel nihil potius in philosophia videt. Hoc equidem videt Vlysses, & ante Vlyssem Theophilus Zimara doctissimus, dum Platonis, & Aristotelis placitum constituens hominem esse animam, seu intellectum compatans, in commentario suo ad secundi de anima textum vndecimum ait, *Improbabile est igitur, quod aiunt animam non inesse corpori, vt formam, hominemque animam rationalem esse duntaxat corpore vtentem. Quod si quando Plato ita sentire videtur; recte id accipiendum est, quasi dixerit hominis potissimam partem rationalem esse animam: nam & Aristoteles r ait, vnumquodque id esse, quod in eo est summum; quippe id, quod in re quaque culmen est, forma reliquorum censetur, formæque esse suum singula acceptum ferunt.* Sed perturbatio, qua detinebaris hæc scribens, impedimento tibi fuit, ne perspiceres hoc dogma notari scriptum in Ethicis, existimans ab Vlysse dici propositum in physicis de ortu & interitu; quum tamen Vlysses vtrumque locum vtraque dogmata continentem ad marginem notauerit: etsi mendum irrepserit in numero marginali

r 10. ethic. cap. 9.

li, & loco 10. eth. cap. 10. legendum sit 10. ethic. cap. 7.9. addendumque 9. eth. cap. 4. quem locum innuit Aristoteles in allata sententia. dixerat enim ibi, *Videtur enim, quemadmodum dictum est, virtus, & probus vir, vnicuique esse mensura: is enim secum consentit, & eadem tota anima appetit: Et vult etiam sibi ipsi bona, & quæ apparent, atque agit: boni enim est, sui quoque caussa bonum elaborare; intellectiuæ siquidem partis gratia, quæ esse vnusquisque nostrum videtur.* (Nota) *Vult quoque viuere se, & saluum esse, & maxime id, quo sapit.* (Nota pariter) *Probo enim viro esse bonum est. Vnusquisque autem sibi ipsi vult bona. Effectus vero alius illud quoque euasit, omnia habere eligit nemo. Habet enim etiam nunc* Deus bonum. *sed quum ipse sit id quodcumque est. Vnusquisque vero id quod intelligit,* nimirum intellectus, *esse videretur, vel præcipue: quique est huiusmodi, secum degere vult.* Hæc si vidisses, o Vetuex, nunquam Vlyssem mendacij arguisses, afferentem, Aristoteli vnumquodque esse id, quod in eo est summum. VER. Tu statuis temperamentum dici calorem ab ea quod in ipso summum est; forsitan ideo alibi dixisti; calidum innatum esse apicem temperamenti. As. Ita sane: quid obijcis? VER. Dic tamen quæso, cum *t* Galenus nouem temperamentorum differentias constituat, quatuor simplices, quatuor compositas, & vnam mediam, *u* ab omnibus ne istis calor est id, quod summum est? As. Si nescis proponere interrogationem, quomodo veram percipies responsionem? Calor, mi Athos, est id, quod est summum, non quidem ab omnibus differentijs temperaturarum, vti tu dicis, at in omnibus differentijs temperamentorum. VER. Ego vero putabam in temperamento frigido frigiditatem esse *x* apicem, sicut in humido humiditatem, in sicco siccitatem. As. Ego autem credo te nũc etiam id putare; sed semper male, ac falso putas; quum enim vita consistat in calido, & humido a calore gubernato; iam nullum viuentis temperamentum est, in quo calor non regat alias qualitates; quia multo plus caloris quam aliarum qualitatum ad actiones vitæ, & ad vitam ipsam opus est; dum vero temperamentum denominatur vel frigidum, vel humidum, vel siccum; id non contingit, quia in eo frigiditas, vel humiditas, vel siccitas calori prædominetur, ac fit apex in temperamento, vti tu perperam putas; sed tum ad distermindandas varias illorum temperamentorum differentias; tum potissime, quia qualitates illæ in malis temperaturis excedunt gradum conuenientem bonæ temperaturæ; quare temperamentum siccum non est, in quo siccitas prædominetur alijs qualitatibus; ast in

[Margin notes: 9. eth. c. 4. — t 3. eph. 2. — u vm. 391. — x vm. 392.]

ast in quo ceteris qualitatibus bene se habentibus, & speciatim calore, ac humore ceteras mole, graduque supetantibus, siccitatis tamen gradus maior est, quam deceat: ita de frigiditate dico, vt denominatio temperamenti sicci, frigidi, & humidi sumatur, non ab his qualitatibus singulis reliquas vi, & & mole superantibus; sed ab iisdem suam conditionem, & exigentiam bonæ temperiei excedentibus. VER. Sed videamus alterum calidi innati significatum. Tu ais sic, caloris nomine intelligimus quartam qualitatem a frigiditate, siccitate, hu-
y vm. 393. miditateque distinctam: Vah quam verbosus es? poteras
z vm. 394 breuius dicere, caloris nomine intelligi calorem; quippe ca-
a vm. 395. lor est quarta ista qualitas a tribus distincta. As. Vah quam
b 1. decl. cap. 2. de mult. cap. 10. 4. epid. cap. 19. 8. dec. c. 5 c de natur. hem. tibi verbosus est eadem ratione Galenus *b* & *c* Hippocrates, qui dum ait sanguinis nomine, dicunt significari primo quidem aggregatum ex quatuor humoribus: deinde quartum humorem a pituita, bile, & melancholia contradistinctum. Sed apud Medicos classicos vulgata satis est gemina sanguinis significatio; quarum vna indicant totam massam humoralem in venis contentam, denominatione facta ab humore ceteris prædominante; altera significant quartum humorem a pituita & ab vtraque bile contradistinctum. dicere vero caloris non ine calorem intelligi, mi Castro, pura nugatio est. VER. Sed memineris, te prius voluisse tradere duo significata caloris naturalis. Nunc autem cum dicas calorem esse vnam qualitatem præter tres primas, nihil addis, cur calor iste sit naturalis, *d* an
d vm. 396. extraneus. As. *an* hic tuum male ponitur, dic potius *non* VER.
e vm. 397 Quamuis autem calor in ratione caloris sit quarta qualitas, nihilominus, vt naturalis est, non potest vna *e* simplex qualitas appellari: quippe (vt tumet fateris) calor naturalis sine humiditate esse nequit; imo calorem naturalem calorem humidum Galenus appellat. Iam ergo erras, dum dicis calorem naturalem esse vnam quartam qualitatem. As. Minime, nam Vlysses agit de calore naturali prout refertur ad temperamentum: & quum temperamentum ab omnibus Medicis recte reponatur inter res naturales, mi Castro: siue caloris naturalis nomine totum temperamentum significemus, siue in eo temperamento quartam qualitatem ab aliis tribus quomodocumque distinctam, semper naturalis erit: nec tu mihi probaueris vnquam calorem, vt in temperamento est quarta qualitas a tribus aliis distincta, non esse naturalem. Quod autem calor naturalis esse nequeat sine humiditate, hoc non tollit quominus calor sit quid ab humiditate diuersum: nam neque materia

ria

ria poteſt eſſe ſine forma, neque ſenſitrix anima poteſt eſſe ſine corpore: quum tamen anima ſenſitrix diuerſum quid ſit a corpore, materiaque diſtinctum quid ſit a forma. Nec officit Galenus appellans calorem naturalem humidum, o Athos: quia ſentiens anima vocatur ab Ariſtotele materialis, quam tamen ponit eſſe quid a materia diſtinctum. VER. Si vero calorem extraneum deſcribere velles, non aliter credo te eum deſcripturum, niſi dicendo eſſe vnam *f* quartam qualitatem diſtinctam a tribus alijs primis. Quænam ergo erit ratio dignoſcendi naturalem ab extraneo? certe in ratione caloris non diſtinguuntur: *g* ſed in ratione naturalis: tu autem naturalis caloris ſignificatum tradere voluiſti, & *h* indiſtincte te gerens, naturale & extraneum confundere potuiſti. AS. Vlyſſes aperte diſtinxit calorem naturalem ab extraneo, dum illum poſuit partem temperamenti: quum calor extraneus ad temperamentum, quod eſt quid ſecundum naturam, minime pertineat. Ratio vero dignoſcendi calorem naturalem ab extraneo eſt, tum nuper allata, quod extraneus non eſt qualitas temperamenti, ſed aduentitia: tum quod extraneus calor eſt mordax, & vehemẽs vltra mediocritatem ſanitatis latitudinem excedens. Quare calorem extraneum deſcribens Vlyſſes dicet eſſe qualitatem excedentem mediocritatem ſanitatis latitudini conſentaneam. VER. Alter eſt error, ſeu altera repugnantia: Dicis temperamentum non ali, ſed corpus viuens; ſic temperamentum *i* diuerſam rem facis à corpore viuente. AS. Ita; quia quum corpus viuens vna ſit & viuens, & miſtum: nutritio illi connenit, non qua miſtum eſt, ſed qua viuens eſt: quum autem viuentis qua viuens eſt, forma ſubſtantialis anima ſit: ac miſti, qua miſtum eſt, forma ſubſtantialis ſit temperamentum: iam apparet non ſolum, temperamentum non eſſe corpus viuens: quum Ariſtoteles *k* aperte contradiſtinguat formam a materia, & a corpore compoſito: tum etiam temperamentum non ali, quoniam forma non alitur, ſed compoſitum ex materia, & forma. VER. Iam ergo calor naturalis, quem dixiſti, eſſe temperamentum, non erit pars viuens. AS. Iterum hoc repetet Vlyſſes, quia nomine caloris naturalis qualitatem habitualem miſti viuentis ſignificauit; quæ non eſt pars integralis eiuſdem, quæ ſola viuit, & alitur; ſed forma, & pars eſſentialis, quæ producit actionem, vt cauſſa efficiens, animæ deſeruiens; non autem actionem in ſe ſuſcipit, vt ſubiectum, quod vere alitur. VER. Et tamen tumet fateris, calidi m innatum eſſe partem igneam, & aeream miſti viuentis, quæ habet ortum ex

ſangui-

f tm. 398.
g tm. 399
h tm. 400
i tm. 401.
k 2. de an. t. 2. & ſeqq.

sanguinis menstrui portione, & spiritu, qui continetur in semi-
l 1. aph. 14. ne. As. Naturalis caloris nomine, l Galeni decretis, intelligere possumus tum qualitatem, quo sensu dixit Vlysses calorem naturalem esse temperamentum, & apicem temperamenti, non partem corpoream, & materialem misti: tum etiam substantiam; quo sensu sine contradictione dicere potuit Vlysses alio in loco, calorem naturalem esse partem igneam, & aeream misti viuentis, ortam ex sanguinis menstrui portione, & spiritu, qui continetur in semine, tu vero nunc ista confundis. Deinde vero non alitur in nobis ignea, vel aerea portio misti viuentis; sed totum mistum viuens; qua mistum viuens est, & constitutum ex quatuor elementis: quod a sui portione ignea & aerea maxime distinguitur, ac re ipsa, vt totum a qualibet sui parte seorsum accepta. Deinceps temperamentum; & calor innatus ordine naturæ, ac via originis præcedit animam, vt mistum præcedit corpus animarum; est enim temperamentum disponens materiam misti ad induendam animam vt formam viuentis; nutritio vero & vita consequitur animam, a qua prouenit, velut effectus a sua caussa primaria; proindeque temperamentum, adeoque calor innatus, quatenus est tempera-
m p. 180. mentum, non est corpus viuens, & vere non alitur. VER. m Ac-
n 1. de vi- cepi a quodam valde tuo discipulo, re in quodam tuo n libro
ta. cap. 16 hæc verba typis mandasse, *Forma misti anima carentis tempera-*
o 1. de par. *mentum est*: quod confirmasti Aristotelis autoritate, apud quē
cap. 1. nihil tale p reperio. Verum hoc tibi condonandum est, qui
p vm. 402 mentitis autorum testimonijs soles victitare. As. Nil mirum si nihil tale reperias apud Aristotelem, qui parum polles aciē mentis: non discipulum, sed librum ab eo citatum consulere
q 3. de vita debuisses; nec errasses in citatione loci; nam non primo de vi-
cap. 16. ta, sed q tertio libro scripsit Vlysses allatum dogma; verbaque Aristotelis attulit inquiens, *Forma namque misti anima carentis*
r 1. de par. *temperamentum est*, *vt decet* r *Aristoteles alicubi adnotans Em-*
cap. 1. *pedoclem ab ipsa veritate ductum confiteri substantiam, atque rerum naturam esse formam, quum definiens Os asserit non esse vnum elementum, non duo, non tria, non omnia, sed mistionis elementorum rationem. est autem ratio mistionis elementorum proprie id quod appellamus temperamentum*. Tale quid autem apertis verbis dixit Aristoteles in fine capitis inquiens, *Principium enim rerum natura potius, quam materia est. Empedocles etiam in eam interdum incidit, ductus ab ipsa veritate, & substantiam atque naturam esse rationem fateri compellitur: veluti cum os, quid sit, reddit: quippe qui non aliquod elementum vnum esse id velit, non*

duo,

duo, aut tria, non omnia, sed mistionis elementorum rationem. Igitur & carnes, & ceteras eiusmodi partes hunc eumdem in modum esse, apertum est. agit autem hic de partibus his, non quatenus viuentes sunt: nam ita sumptarum forma est anima, non autem ratio mistionis elementorum; sed quatenus mista corpora sunt, abstrahendo ab animæ consideratione; proindeque quatenus in genere misti non dissident a mistis anima carentibus. VER. Accedis ad *problemata*, vbi hæc verba reperis, *r Tabescunt enim & qui esuriunt: quia nullum penitus capiunt alimentum, & qui vitiosè vescuntur, quia quod assumpserint perfrui nequeunt.* Non exuis tuos mores in hac etiam expositione; inquis enim, *Ac profectò quomodo clarius indicare poterat Aristoteles, posse hominem a nutricatione penitus ociari, quam asseuerans, tum qui malè cibo vescuntur, maloue habitu afficiuntur, iccirco intumescere pedibus, reliquis autem partibus contabescere: quia quod assumpserint, alimento perfrui nequeant; tum qui diuturna fame laborant, idipsum perpeti, non nisi quia nullum penitus capiunt alimentum.* Hæc tuæ est pulchra expositio. As. Quidni pulchra? qui nullum penitus capiunt alimentum, quique nutrimento perfrui nequeunt, quomodo non penitus a nutricatione ocientur? VER. Quæsitum Philosophi erat. *Quamobrem, qui vel cibo vitioso vescuntur, vel fame diutina laborant, pedibus intumescere soleant?* Quæsiti rationem reddit, quia vtrisque per tabem consumptionemque illud accidit. Tenetur tunc declarare, cur vtrisque tabes, consumptioque accidat: huius rei caussam esse ait, quoniam qui esuriunt non accipiunt cibum, ex quo nutriantur, qui vero vitioso cibo vescuntur, cibum quidem accipiunt, sed talem, qui nutritioni non inseruiat: semper tamen intelligenda est negatio, quæ *u* non omnino tollat id, quod negat, sed magna ex parte. Iam tibi dixi atrophia laborantes dici carere nutritione, quoniam exiguam habent, idemque de respiratione dicendum esse inferius dicturus sum. As. Probandum tibi est, non dicendum tum negationem illam non omnino tollere id, quod negat, sed magna ex parte: tum atrophia laborantes dici carere nutritione, quoniam exiguam habent; quia & negatio simpliciter prolata tollit absolute id quod negat: & apud Medicos vulgatissima distinctio est actionis diminutæ, & abolitæ; in illa homines exiguam habent functionem, in hac nullam omnino. laborantes atrophia leui diminutam nutritionem habent; graui autem nullam, qui propterea dicuntur carere nutritioni: idem assero de respiratione. VER. Tu in his Philosophi verbis reperis tuas infelices ferias.

r pag. 102. sect. 1. probl. 5.

u vm. 403.

As. Infelices quidem tibi, quem patefecerunt in Mundo litterario prorsus ignarum; at Vlyssi gloriosas; cuius doctrinam & eruditionem confirmarunt. Ver. Ociumque nutritionis: vbinam est hoc ocium? num in ijs, qui esuriunt? As. Ita. Ver. Vt
x vm.404. esuries spectat ad alimentum x externum, hoc est ad cibum: quare esurientes e cibi ingestione feriari, dixisse Aristotelem, par est, non vero a nutritione. As. Esuries, & fames diutina, de qua loquitur Aristoteles in problemate, mi Veruex, non solum respicit externum alimentum, vti tu ais; sed etiam ac potissimum carentiam interni, sine quo nutritio non fit: fames enim est effectus ortus ex carentia interni alimenti, & appetitus exterioris; vnde definitur esse appetitus alimenti externi, ob interni penuriam siue carentiam. Quare qui longa fame laborant, ij carent alimento interno, proindeque nutricatione, quæ sine illo nequit obiri; quum sit nihil aliud quam conuersio nutrimenti interni in substantiam viuentis. Ver. Si vero quæres, cur ob cibi defectum emaciantur corpora, addiscito responsio-
y vm.405 nem ab Hippocrate dum ait, *y Plurimo propterea indigent ali-*
z 1. aph.14 *mento, alias corpus absumitur*. As. Hippocrates z ibi non agit de tabe proueniente ex diuturna carentia omnis alimenti exterioris, de qua tractat Aristoteles in præsentia; sed de minori corporis incremento crescentium, seu de consumptione corporis puerorum ex minori ciborum vsu, quam par sit: quare nihil Vlyssi officit Hippocrates, nec tibi quidquam facit ad pro-
a vm.406. positum. Ver. Si rursus quæras; cur ex prauo cibo in a maciem deueniunt, addisce ab eodem dicente, *Impura corpora quo magis nutries, eo magis lædes*. As. Nihil hoc etiam est ad propositum;
b 2. aph.10 nam, Hippocrates b ibi loquitur de cibo non malo, seu de nutrimento bono; nos autem de prauo & vitioso cibo: & læsio illa, quam affert multus cibus bonus ingestus impuris corporibus, non est macies, & carentia nutritionis, qua de agimus, sed augmentum prauorum succorum, vt admonet Galenus in commento: macies enim effectus priuatiuus est, & omnino decrementum corporis; prauorum vero succorum incrementum est effectus positiuus longe ab ea diuersus; quare tu panem postulanti lapidem offers. Ver. Si tandem quæras, cur emaciatis
c vm.407. pedes intumescant? Respondeo in primis τὴν σὺν τηξιν c quod Gaza vertit *per tabem*, melius verti a doctissimo Septalio *ob colliquationem*: colliquati vero humores membris non agglutinantur sed suo pondere ad inferiora, nempe ad pedes delabuntur. Deinde etiam tabidis coctiones fiunt diminutæ, & calor iecoris, infirmatur; vnde quod aquosus redditur sanguis,

qui

qui ineptus est, vt apponatur, magis ineptus, vt agglutinetur, aptissimus vero, vt dilabatur. As. Hanc veram doctrinam a docto Guastauinio didicisti, licet ille multo subtilius, elegantius, & distinctius eam in hoc loco proposuerit; sed illud tuum τὴν εἰν τηξιν disce græce scribere duabus, non tribus dictionibus τὴν σύντηξιν. & Aristotelem luxare desine, qui scripsit διὰ τὴν σύντηξιν. Ver. Itaque tam qui prauo cibo vtuntur, quã qui esuriunt, intumescunt pedibus, hoc est, Cachectici fiunt. As. Tu non bene tumorem pedum cum cachexia confundis; d 3. de loc. quia tumor pedum esse potest sine cachexia, vicissimque ca- aff. cap. 7. chexia sine tumore pedum: Quin & Galeno d Cachexia est e 4. meth. affectio non pedum tantum, sed manifestarum omnium cor- cap. 4. poris partium; & e alibi malus est habitus totius corporis, non pedum tantum. Ver. Quare vitiosus cibus est caussa Cachexiæ: ergo, vbi in græco est οἱ κιβδηλιῶντες, hoc est secundum f vm. 401. Gazam *qui vitioso cibo vtuntur*, male f vertit Guastauinius, qui malo sunt habitu cachectæ nuncupati: posuit namque effectum pro caussa, videlicet g cachexiam pro vitioso cibo, ex quo g vm. 409. cachexia fit. As. Guastauinius non approbauit versionem Gazæ, qui κιβδηλιῶντες vertebat, *qui prauo cibo vescuntur*; quia quæsitum vniuersale nimis coarctabat, restringens effectum tumoris pedum, ortum habentem a multis caussis ad vnam solam, τοῦ vesci vitioso cibo: secutus est hac in re Guastauinus Hesychium, quem tu damnas, dum Guastauinium reprobas: Hesychius enim eam vocem κιβδηλὴς interpretatur, malum, vitiosum, corruptum, fœculentum. significat enim proprie scoriam argenti: vnde κιβδηλιῶντες vniuersim intelligi possunt cachectici, qui prauis humoribus abundant in omnibus partibus. Neque Gaza coarctare debuit significationem vocis κιβδηλιῶντες ad eos, qui peculiariter vitioso cibo vescuntur. Nec, o Criomixe, Guastauinius posuit effectum pro caussa, cachexiam pro vitioso cibo, ex quo cachexia fit, sed solum dixit verbum κιβδηλιῶντες accipiendum esse generatim, quatenus proprie significat omnes homines, qui prauis excrementis, & vitiosis humoribus redundant. Si Aristoteles vsus fuisset voce, quæ peculiariter significaret vsum cibi vitiosi, Gazæ translatio recepta fuisset a Guastauinio: Qui vt confitetur vsum cibi praui esse caussam cachexiæ, ita profitetur eum esse cachexiæ caussam quamdam specialem, & contineri quoque in Problemate sed non solum; sed etiam Aristotelem innuisse generali voce caussas alias a cibo prauo distinctas; quæ cachexia generatim, accepta, non solum ab vsu cibi vitiosi, sed ab alijs caussis ortum habens, est caussa tumoris pedum; cuius originem a cachexia

generatim prodeuntem, explicare satagit Aristoteles in proble mate. Ver. Ceterum si malum corporis habitum dicere voluisset Aristoteles, haberet in lingua græca fœcundissima, quomodo diuerso vocabulo eum corporis habitum prauum, qui fit ab inedia, ab alio quo significatur habitus prauus, qui fit a prauo
vm.410 humore: quippe a prauo humore contractus prauus habitus dicitur græcè καχεξία, cõtractus vero ab inedia λιμόψωρος h appellatur. As. Mi Sphincter, hinc video te minus Græce scire
i pag. 266. quam Hebraice, si verum est, quod i confiteris te vix cognoscere characteres hebraicos; tum quia cachexia tota continetur sub verbo κιβδηλιῶντες, quod primam partem problematis respicit, non secundam, ad quam illud tu trahis inuitum more tuo: tum quia, licet aliqua Dictionaria græca notent vocem λιμόψωρος denotare malum corporis habitum a fame contractum; tamen præcipue significat hunc habitum malum circa partes corporis externos corporis, & cutis; vt indicat particula ψώρος; nam ψώρα scabiem significat & affectionem cutaneam, quæ sæpissime spectatur in pauperibus ciborum indigentibus, & in famelicis; vnde fortasse melius ea voce significantur, vt placuit Suidæ, strigosi & macie confecti. Ver. Abeat igitur ad latrinã cum suo turpi Græcismo tuus Guastauinius, quem cum encomio eruditissimi nominas. As. Vere dici debuit eruditissimus Guastauinius, quia talis habetur viris doctis & probis: tua vero scurrilitas non eum solum, sed Hesychium græce peritissimum ad latrinam mittit conuicio turpissimo. Ver. Me autem, vt aduenies, sic inuenies, si comis comem, si contumeliosus contumeliosum. As. Si comis tu aduenisses Macrocosmista, & Asitiastes, inuenisses Vlyssem in Ferijs comem; at quia contumeliosus aduenisti, eum in Ferijs acrem, non contumeliosũ reperisti; quum autem supra quam dici potest contumeliosissimus in hoc tuo commento adueneris, iustum est a te ipsum in his Dialogis inueniri acriorem. nam vt inquit apud Homerum Aeneas

* Iliad. 20 * Ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.
Quale dixeris verbum, tale etiam audieris.

§ vm. 411 Ver. At si diuini numinis occulta lex te vitæ § indignum post me adhuc in vita reliquerit. As. Te certe, non vitæ, sed vita indignissimum produnt scurriles contumeliæ, ac falsæ prorsus imposturæ, quibus in hoc tuo commento passim, & alibi sæpe petis, non Vlyssem solum, sed alios insignes probitate ac sapientia scriptores. Ver. Non deerit vir probus & doctus, qui veritatis amore, & improbitatis odio ductus meam caussam

defen-

defendendam suscipiat. As. Itaque securus est Vlysses ab Aduersario; tum quia tua defensurus tibi similis erit, probitatis exors, atque doctrinæ; tum quia veritatis amore, ac improbitatis odio ducti contra te omnes insurgent pro Vlysse militantes. Ver. Iustius enim sanctiusque habetur (teste Aristotele) hominibus vita functis opem ferre, quam viuis: quia scilicet viui præsidio esse possunt, illi defuncti nihil præterea possunt. As. Cur ergo contra defunctum Parentem Vlyssis adeo contumeliosus fuisti, vt illi falsam imposturam tonstrinæ non semel obijceris; qui talem Aristotelis doctrinam pro te mox defuncto profers? At vero proximam tibi mortem non optat Vlysses; etenim vt ante necem intueri posses aliquam partem responsionis ad tua commenta, Dialogum hunc currenti calamo prima delineatione descriptum publicari voluit, cupitque te diu etiam in viuis agere, quo possis Regulum diligentiori stylo tua singula dicta perpensurum audire. Ver. Supererit etiam mea progenies, cui studium erit tuam frænare petulantiam. As. Immo vero potius dulci sono Cytharę studebit agyrta tuus ille Cicchettus, & precibus, si quis alius est tibi nothus, lenire iustam quam suspicabitur iram tot virorum insignium abs te spurcissimis probris in hoc commento lacessitorum. Ceterum has tuas nænias Iberas, & Pyrgopoliniceas minas omitte, quas Vlysses floccipendens risu excipit; sique didascalici quidquam multorum a te promissorum habes aduersus Vlysem, in medium affer. Ver. Etsi mihi tecum de continuitate nutritionis, quam tot argumentis roboraui, deque alia re nulla disputandum esset, tamen &c. As. Mirum est, o Verucx, te, qui contendis nutritionem in viuente iugem adeo esse debere, vt viuere ne tantillum quidem homo valeat, nisi nutriatur assidue, præsensque nutrimentum habeat, quo semper alatur, ac refocilletur, te in montem Athon vel in Castrum, oppidumque Montis Atho transformasse, quem Magnus Alexander olim apud Vitruuium infausti procul a nutrice lac non habenti comparauit. Audi Vitruuium pulcherrimam historiam referentem, § *Dinocrates*, inquit, *Architectus*, (quem Stasicratem Plutarchus vocat, & alij Chimocratem, alij Chiromocratē, alij Dimocratem) *Macedo, qui ad te*, o Rex Alexander, *cogitationes, & formas affero dignas tua claritate; namque Athon montem formaui in statuæ virilis figuram, cuius manu læua designaui ciuitatis amplissimæ mœnia, dextra pateram, quæ exciperet omnū fluminum, qui sunt in eo monte, aquam, vt inde in mare perfunderetur. Delectatus Alexander ratione formæ, statim quæsiuit si* § *l. 2. præf.*

essent

essent agri circa, qui possent frumentaria ratione eam ciuitatem tueri: Quum inuenisset non posse, nisi transmarinis subuectionibus, Dinocrates, inquit, attendo egregiam formæ compositionem, & ea delector; sed animaduerto, si quis deduxerit eo loci coloniam, fore vt iudicium eius vituperetur; vt enim natus infans sine nutricis lacte non potest ali, neque ad vitæ crescentis gradus perduci; sic ciuitas sine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere, nec sine abundantia cibi frequentiam habere, populumque sine copia tueri. Itaque quemadmodum formationem puto probandam, sic iudico locum improbandum. Sic ego tui formationem in montem Athon vt ea ratione probo cum qua Adagiographus qua tum ingluuiosus vasto ventre, tum tædiosus aliorum gloriæ vmbras affundere perpetuo gestiens, montis aspeti naturam æmularis; ita prorsus improbandum esse iudico te velle iugem nutricationis actum, nec posse hominem sine nutrimenti vsu viuere, ne momento quidem. Nisi forte respexeris

§ lib. 14. ad historiam de proposito relatam a Strabone, § qui dicit *Cheremocratem pollicitum fuisse Alexandro, sese montem Athon in eius formam fabricaturum, vt tanquam ex gutto quodā, aqua in phialam effunderetur: facturumque duas vrbes, alteram ad montis dextram, alteram ad sinistram, vt ab altera in alteram amnis effluerer:* & mente conceperis vrbium alteram esse dolium ingens in œnophori formam, alteram esse magnum cissybium, in quod aquæ vice vini flumen immitteres, mox in mare magnum tui vasti ventris infusurus: non enim te credo abstemium esse, licet voracissimus sis; & Hippocrati pariter

* 4. epi. 20. atque Galeno non minus aquæ potus, quam vigilia, reddat homines edaces; vnde seni Coo dicitur Aqua edax, vigilia edax. Quod autem adeo sæpe Rechum Vlyssi patriam obijcis, ac oderis, despiciasque, veluti non procreantem subtilia ingenia, certe mirantur viri docti; quod neminem autorem classicum proferas huius tui dicti comprobatorem: sed esto Rechum, disputationis ergo Bœotiæ compar, ac Scythię, quin & Lusitanię a Gratarola descriptę; quidni fieri possit vt ex Recho prodierit vnus ingenij subtilis Vlysses, vt e Lusitatania prodijt vnus ingenio subtili Barbosa, ex vltima & agresti Scythia vnus ingenij subtilis Anacharsis, & e Bœotia vnus ingenij sublimis Epaminondas? VER. Cruditates

k pag. 170. origine ab k excrementis diffidere ais; quoniam cruditates ante coctionem sunt, excrementa post coctionem emergunt. As. Ita quidem, & bene dixit Vlysses. VER. Sed quid cruditates appelles nescio. As. Nihil mirum est, te nescire quod

nemo

nemo neſcit. VER. Ego vero cruditates crudos *l* humores ap- *l* 2m 411.
pello. AS. Etſi non bene coarctas cruditates ad humores, quod
hi proprie gignuntur in hepate per ſecundam coctionem; &
ante illam multæ cruditates in ſtomacho ſint nondum genitis
humoribus: tamen eſto latiori ſignificatione nomen humoris
indicet etiam ſuccos ex potulentis & eſculentis primum in vē-
triculo genitos. VER. Iſtine ſunt ante coctionem? AS. Quidni?
mi veruex; crudi enim dicuntur, quia nondum cocti ſunt. VER.
At ante coctionem non ſunt *m* humores; quomodo ergo ante *m* 2m. 412
coctionem ſunt humores *n* crudi. AS. Nonne vides te nunc *n* 2m. 413.
parallogizare a diuiſis ad coniuncta? humores, qui non ſunt
ante coctionem, ij ſunt, qui ex coctione naſcuntur: at cruditas
omnis antecedit ſemper coctionem; quum humor crudus non
ſit niſi qui nondum coctus eſt. VER. ſunt ergo humores crudi
illa pars, quæ coctionem effugit. AS. vera dicis. VER. At hoc non
eſt originem habere *o* ante coctionem. AS. Falleris, o veruex;
cruditas enim vnius non opponitur coctioni alterius; at eiuſdē *o* 2m. 414.
rei; quare humores, qui crudi ſunt, ideo dicuntur oriri ante
coctionem, quia fiunt ante ſui coctionem; fiunt autem ante ſui
coctionem, quia coctionem effugiunt. Excrementa vero poſt
coctionem fieri dicuntur, quia ab eodem calore, quo conco-
quente ſuccos alimentares ab ijs ſeparantur, coctionem excre-
mentis propriam ac debitam perpetiuntur: at cruditates co-
ctionem ſubterfugientes recte dicuntur ab Vlyſſe ante coctio-
nem ordini. VER. *p* Vane Ligur, Nonne *q* audiſti loquendum *p* pag. 247.
cum multis, ſentiendum non paucis? at ego ibi *r* cum paucis 266.
ſentire volui: ſic quantitates primas *ſ* abſtuli; ſic elementa qua- *q* pag. 312
tuor non eſſe principia rerum *t* ſtatui, ſic multa alia, quæ tibi *r* de meteo.
u admirationi, viris doctis eruditioni *x* eſſe poſſunt, ibi deter- microc.
minaui, non quidem legem ſanciēdo, ſed rationibus *y* demon- *ſ* 2m 415.
ſtrando, quod quam *z* feliciter præſtiterim, loquatur vniuer- *t* 2m. 416.
ſa *a* Europa: neq; ego tuam vanitatem imitabor, qui litteras ad *u* 2m. 417
re vrbanitatis, & forſan iocoſitatis ergo, miſſas tranſcribis. AS. *x* 2m. 418
Quod Vlyſſem vanum Ligurem appellas, non recte tu facis; *y* 2m. 419.
Virgilius *b* quidem Auni filium vocauit vanum Ligurem, quia *z* 2m. 420.
fruſtra detrectabat certamen cum Camilla, vanuſq; fuit omnis *a* 2m. 421.
illius conatus euadendi ab eius manibus. vt adnotat etiam *b* 11. Aen.
eruditus *de la Cerda*. Sed Vlyſſes non detrectat certamen cum
Didone tua minis prouocante. at prompte deſcendit in pugnā,
quare non potuit a te vanus appellari. Quod negaueris primas
qualitates; quod renueris elementa eſſe miſtorum principia;
duę ſunt vmbræ, ac potius tenebrę tuę palpabiles in philoſo-

phia

phia ſatis ab Ariſtotele diſcuſsæ, quæ Vlyſſi ſunt admirationi quidem, non quod eas ſuſpiciat, ſed quod non intelligit qui fieri poſſit vt poſt Ariſtotelicas demonſtrationes, omnium doctorum conſenſu comprobatas; & poſt Hippocraticas, & Galenicas ſanctiones ab omnibus vltro receptas, de natura elementorum, homo adeo bardus inueniatur, & arrogans, qui ſe Philoſophum & Medicum præſtantiſſimum prædicet, ac ſummorum Dictatorum Philoſophiæ ac Medicinæ theoremata neget. Quod tu præterea tibi arroges tuis placitis erudire viros doctos, nonne hæc eſt vmbra iactantiæ denſiſſima? ita tu viros doctos erudies, quando ſus Mineruam. An rationibus demonſtraueris ea dogmata, quæ paſſim exploduntur ab omni doctorum cœtu, dicant ſapientes; nihil magis abeſt a natura demonſtrationis, o veruex, quam ſophiſmata tua. Quam feliciter tua placita illa monſtroſa demonſtraueris, omnes aperte vident litterati; qui tibi conſenſum præſtare nolunt, ſed vnanimes reluctantur, tua deſpicientes. Quod inſuper de propoſito appellas ad Europam vniuerſam, recte facis. nam ea teſtis locuples eſſe poteſt de tua ſumma facundia, & Medicinæ peritia, quæ te per compita, pagos, & plateas ſæpiſſime vidit, & audiuit ex alto tabulato plebi medicamenta vendentem: at mihi ſatis eſt Florentinorum pubes quæ, te procul ad ſe venientem conſpicati, cum hymnis, & canticis Hetruſcis tibi occurrunt inuſitato quodam *Hoſanha* mortem ingeminantes. Quod poſtremum vanitatis inſimulas Vlyſem, qui tranſcribit litteras ad ſe miſsas vrbanitatis & iocoſitatis ergo: in primis id effecit ille citra vanitatem a Plutarcho monitus in opuſculo, cui titulum fecit, *Qua quis ratione ſeipſum citra inuidiam laudare poſſit*, & imitatus Plinium Secundum, qui ſe laudātium iudicia profert Maximo ſuo ſcribens in hanc ſententiam, m *Frequenter agenti mihi euenit vt centumuiri, quum diu ſe intra iudicum autoritatem grauitatemque tenuiſſent, omnes repente quaſi victi coactique conſurgerent, laudarentque. Frequenter e Senatu famam, qualem maxime optaueram, retulit: nunquam tamen maiorem capi voluptatem, quam nuper ex ſermone Cornelij Taciti. Narrabat cediſſe ſecum Circenſibus proximis Equitem Ro. hunc poſt varios eruditoſque ſermones requiſiſſe, Italicus es, an prouincialis? ſe reſpondiſſe. Noſti me & quidem ex ſtudio. Ad hoc illum. Tacitus es, an Plinius? Exprimere non poſſum, quam ſit iucundum mihi, quod nomina noſtra, quaſi literarum propria, non hominum, literis reddun tur; quod vterque noſtrum his etiam ex ſtudijs notus, quibus aliter ignotus eſt. Accidit aliud ante paulos dies ſimiles. Recumbebat*

m lib. 9. ep. 23.

mecum

mecum vir egregius; Fabius Rufinus, super eum municeps ipsius, qui illo die primum in vrbem venerat, cui Rufinus demonstrans me, vides hunc? multa deinde de studijs nostris. Et ille, Plinius est, inquit. Verum fatebor, capio magnum laboris mei fructum. An si Demosthenes iure lætatus est, quod illum anus Attica ita demonstrauit, οὗτος ἐστι Δημοσθένης, ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? Ego vero & gaudeo, & gaudere me dico: neque enim vereor ne iactantior videar, quum de me aliorum iudicium, non meum, profero; præsertim apud te, qui nec illius inuides laudibus, & faues nostris. Immo vero apud te, qui Vlysseis laudibus inuides, ac non faues, de illo iudicium clarissimorum virorum proferendum fuit; & vt ille sine iactantia coactus fuit in Ferijs doctorum & insignium virorum de se iudicium tuas contumelias diluens promulgare, ac tibi opponere; quod vel inde cognoscere poteras, quod talibus testimonijs nunquam in alijs operibus, quæ plurima vulgauit, vsus est: ita nunc mihi Iubet duo alij clarissimorum virorum æui nostri iudicia de Vlysse meo proferre apud te, qui laudibus eius inuides: alterũ quidem est erudiissimi viri Balthasaris Bonifacij, qui quum ab Illustrissimo & Excellentissimo Senatore Veneto Dominico Molino recepisset exemplar Fortunij Liceti De Analogia Mundi & Hominis nuperrime typis inuulgatum, Amplissimo Senatori cum gratiarum actione misit ad me sequens Epigramma, tui valde dissimile, o Criomixe.

Ad Clariss. & Doctiss. virum Fortunium Licetum.

Dum paruum magno confers, Vir maxime, mundum,
Ingenium Mundo maius vtroque tuum est.

Balthassar Bonifacius.

Alterum est Clarissimi viri ac ingenuitatis admirabilis Lucæ Holstenij, cui eiusdem operis exemplar cum nonnullis alijs propriorum operum Romam transmiserat Vlysses. Cl. enim vir proximis diebus ad Vlyssem tales litteras dedit,

Cl. Viro, Fortunio Liceto Philosophorum nostri seculi Principi.
Lucas Holstenius εὖ πράττειν.

Cum hactenus summam illam & incomparabilem tuam in omni scientiarum ac doctrinæ genere præstantiam tacito quodam venerationis affectu sim prosecutus, nunc insignis tua humanitas fecit, Cl. Licete, vt effractis quasi pudoris ac silentij repagulis prorumpere in verba, & litteris te conuenire non dubitarim. Qua in re si quid forte peccati a me commissum, tua hæc erit culpa, qui gratissimo librorum munere, amoris tui tessera, ad amoris atque officiorum certamen me prouocasti: tum etiam Illustrissimi Equitis Cassiani

de Puteo, quo conciliatore ac parario viam ad amicitiam tuam affectare cepi. Et quinam ego adeo humaniter a te prouocatus affectũ diutius premerem; cum tu nullo meo merito tam honorificos de me sermones literis tuis non semel adsperseris, quod me scripta tua pro captu ac modulo meo admirari, atque vti par est prædicare amici communes ad te renunciassent. quod quidem tu ita accepisse videris, quasi quidquam ab homine obscuro existimationi tuæ ac gloriæ accedere posset: qui tanquam Aquila in nubibus longissime supra vulgus eruditorum, in quo nostra quoque delitescit inertia, euectus, tot præclaris fœcundissimi ingenij monumentis nomen tuum æternitati inscriptum consecrasti: iamque famæ securus in honesti laboris præmijs fructuque conquiescis, maior ac superior hominum iudicijs, nullisque amplius liuoris vel inuidiæ telis obnoxius. Meum certe animum diuini atque cælestis ingenij tui magnitudinem & vberrimam fœcunditatem cogitantem sacra quadam veneratio subit, & stupore defigit mens illa omnium humanarum diuinarumque scientiarum semine completa; atque omnia, quocunque tandem vitales spiritus intendas, in fœtum fructumque pulcherrimum excitans, & obscurissima quæque luce clarissima perfundens. Tu quæso V. Cl. mutui affectus contesseratione admitte hominis tuo tibi merito deuinctissimi, qui candorem sine fuco verumque amorem semper præstabit. vale. Romæ MDCXXXV. XXV. Augusti. Age dic mi Sphincter, cur tu his Vlysseis testimonijs tua vel clariora, vel similia saltem non opponis a Viris clarissimis edita, non precario extorta? REG. Iam sat superque cum Veruece dimicasti, Aselle; mihi reliquum pugnæ relinque, vt par est. AS. prompto animo id ego præstabo, si Circe ob pugnam peractam me pristina forma remunerauerit; quam quum adeptus fuero, statim in grati animi monumẽtum cum Mulctra quoque congrediar, opinionem Vlyssis de duplici calore vindicans ab aduersarij syllogismis. REG. Non dubito quin ob nauatam iam operam Vlyssi suo te Circe reformet in Epeum: interim ego diligentiori trutina perpendam placita Veruecis; & si quæ alia prodibunt ab eo in altera parte cõmenti promissa, stylo acutiori, & ordine diligentiori penetrabo. nam hæc a te video satis leuiter tacta, carptimque tractata; &, vt sors tulit, te commenti aduersarij paginas euoluisse sine certo ordine, vt sine ordine permulta sunt atque confusa, quæ in eo commento traduntur. Ego vero ab initio libri exordiar diligenter expendere, quæ a te fuerunt omissa, vel etiam per transennam notata, & inde prosequar vsque ad exitum operis. VER. Hei mihi, iam verum experior illud esse, quod non ita pridem amicis meis Romam per-

perscripsi, me similem esse Adamo, in quem statim post peccatum omnes belluæ insurrexerunt. As. Non expectabam a te nisi sententiam e Iudaicis monumentis excerptam: fuit hæc assertio cuiuspiam Rabbini falsa & ridicula; quis enim asserat columbas, oues, & alias mites animantes in Adamum insurrexisse? SIB. Veritas ipsa te coegit, o Veruex, confiteri peccatum tuæ maledicentiæ, qua probos & doctos viros immerito lacessere soles. Dein aduersus Adamum tuum post peccatum, non ſ bestiæ, sed, vt symbolice deducitur e sacra ſ pagina, tunc Cherubim eruditi Seruij, Medici præstantis, cuius opera Eminentissimi Cardinales vtuntur; cuiusque declamationibus tu reclamare non audes, nec potes; eos negligere te dicis, vulpeculam imitatus, quæ non valeas vuas capere longe a suo captu in altum positas; nolle se dicebat eas attingere quod essent immaturæ: tum Gladius Nemesericus; tum ignis insurrexit, non quidem tui ficti lychnuchi; sed Epei Atridarum t coqui, As. Si placet, o Veruex, mysticas inter animantes Asinum meum memora, qui te calcibus omnino contriuit; & Regulum, qui te funditus euertet, ac penitus exterminabit. Sed quia tu te magnum poetam existimas, & versiculis etiam mordes; hac in parte nonnihil etiam te notare lubet, præsertim quoniam in hoc tuo commento, inter ea quæ deblateras in Vlyssem aliquot etiam locis partim insulso metro, partim soluta ab omni pudore ac veritate oratione furiosè inuectus es; in eius Amicum, nulla prius ab eo lacessitus iniuria, sed mera tantum rabie a dactus, quod eius amicus esset, & in Nemeseticis laudatus, ab Vlysseque tibi iure prælatus; propterea sequentibus Epigrammatibus ijdem Vlyssis Amicus tuæ maledicentiæ responsum esse voluit hunc in modum,

ſ *Gen. 3.*

t *Varr. 6. De ling. lat.*

Ad Sphincterem Criomixum admirantem, & sugillantem mutuam fidem & amorem inter Licetum, & eius Amicum.

I.

u *Esse fidem nescis, nescis nisi fallere dextram;*
Nulla iuuat te lex, nec iuuat vlla quies.
Extorri patria, dum te mens conscia vexat,
Tam fugitiua fides quam tibi corpus erat.
Iure ergo, & merito nostram miraris, & horres.
Vnum nulla tenet, continet vna duos.
Quid? quod es immundas ausus vibrare, frementis
Fex hominis, voces, improba dum blateras?
Sed recutita tuos deceant mendacia mores:

u *l. h. ad cp. 3 & 4*

Sphincterem hac turpem non crepuisse nouum.
Et quos ipse vocas ceruosque canesque lupesque,
Hos bene tergeminum nomen habere decet.
Tergeminum esse decet, compar quia vincere monstrum
Cogimur, ecce venis commoda præda tribus.
Ceruus vt è latebris sinuosum naribus effert,
Sic nos te colubrum, calcibus vt pereas.
Latrabitque tibi semper post terga molossus,
De grege quem Domini non patet esse sui.
Et lupus in tenebris vitam speculabitur omnem,
Et tua quæ fallunt improba facta diem.
Hac ito impuros inter patrare sodales,
Sarcina quos scelerum hinc expulit atque fames.
Donec defesso, longoque labore peresò
Accidat in vitijs & sine lege mori.

Responsio ad alia eiusdem conuiciatoris loca sparsim in eodem Libro scripta.

II.

Resp. ad pag. 131. *Dicis honorosam? quo verbum hoc ducis ab antro?*
Græcorum hoc nemo, nemo Latinus ait.
Iudaicis, credo, didicisti hæc nomina libris,
Quæ inter Romanos barbarus ipse sonas.
Dicere quid studeas, manifestis exprime verbis,
Et sensum fac nos vocis habere tuæ:
Si quid enim indignum scelerata mente reuoluis;
Hoc declarato, præmia digna feres.
Tale quid interea si fors sic dicere tentas:
Mentiris nequam, furcifer, improbitas.

III.

Fortuna, atque animi dotes confundis in vnum:
Hoc scio cur facias, vt tibi sis similis.
Mirarer, leges si qui confuderis ambas,
Is posses rerum parcere nominibus.
Inscius hoc facis, ast illud nequissimus audes:
In vitijs constans vt videare tuis.
Et quàm te fallunt ambarum dogmata legum;
Flammeoli dotes tam latuere mei.

Has

Has ſcito tales, vaſtum qua ventris hiatum,
Sit licet immenſus, perpetuoque vorax,
Poſſint exſaturare tuum, ingluuiemque tuorum,
Exſuxit ſemper quos rabioſa fames.

IV.

Totus es abdomen, plenum quod ſtercore pendet, *Reſp. ad pag. 103.*
Sordibus & certat ſpurca latrina tuis.
A te nec debes diſcedere iuſſus adire
Latrinam: eſt venter namque latrina tuus.

V.

Crede mihi, vt ſapias, frauda farcimine ventrem, *Reſp. ad pag. 2. & al.*
Teque minora iuuent pocula cum patinis.
Sic capiti accedet ſenſus ſubtilis, & acer,
Decreſcetque tibi magnus aqualiculus.
Quæque pedem refugit craſſo poſuiſſe cerebro,
Aſpiciet forſan docta Minerua tuum.
Hæc gaudet pallere ſuos, luteumque colorem
Vendicat, & ſiccis plus fauet illa viris.
Parcius ergo gulæ ſequere oblectamina iam nunc;
Sic poteris petulans, et minus eſſe procax.
Et vultum referes, frontemque oculoſque pudentis,
Et minus errabit ſobria lingua magis.

A Viro autem inſigni, cuius tibi non bene noti poematium notaſti, habetur etiam hæc *Rhamnuſimaſtigis, Nemeſi inſolentiæ & arrogantiæ vindici oblatrantis, & Typographi errore, aut ſtolide non animaduerſo, aut nequiter diſſimulato, Præconem eius iniuſte carpentis, atque interim proſodiæ leges pueriliter paſſim, adeoque in ipſomet cenſorio epigrammate tranſgredientis Caſtigatio.* *Reſp. ad 2. epigr.*

Produxit vati, benè noris, NESCIO primam,
Quam breuiaſſe niger, callide lector, ais.
NESCIO tranſponens prælum, cui debuit ante
QVA poni è ſcripto decidit archetypo.
Expoſuit ſtatuam neſcio qua Dædalus arte:
Sic ſcripſit vates, ſic legit ingenuus.
Præfuit haud vates cudenti, hinc obtigit error:
Quòd ſentit, lector candide, quiſque legens.
Omnia corrector menda ecquis viderit Argus?
Imo, & ſi videat, ſpreverit is minima.

Pin-

Pinguia Gallorum desperans prandia, vulpes,
Venaris Grillos torta famis rabie.
Stulte senes refugos sequeris perque aera floccos.
Saxis offendis, corruis inde solo.
Namque INSCITIA producit, mi Castro, secundam;
Tu stolide breuias: corrigis, atque cudis.
Doctori ah turpe est, si culpa redarguat ipsum.
Stulte rotas caudam: conspice pauo pedes.
Audio STVLTITIA est posita, est INSCITIA pulsa,
STVLTITIA ah stulto quam bene tegmen eris?
Ne stulti nomen tu dedignare: potens est
Nequitiam e scriptis emaculare tuis.
Stultum tolle, dabo, si plus iuuat esse malignum:
Non fugis alterutrum: sin, & vtrumque simul.
Corripit, an nescis? ADOLESCENS nomen eamdem:
Hanc cur producis turpè, senex critice?
Longam postremam, quam corripis ipse. LYCAMBEN.
Te iura agrotum ridiculus Medicus.
Cur mordes Rhamnusidis ossa insulse lupata?
Comminuis dentes, excidit ore cruor.
Sic male diuinas praeconem, vt carpis ineptè:
Grammatici Nemesis non tulit obsequium:
Grammatices tamen haud mirum quod temnis alumnos:
Nam tibi Grammatice, Castro, nouerca fuit.

En Circe Domina Veruecem prostratum in hoc litterario cam po prima velitatione; me iure manet debita figura Epei viri pristina: sta mihi promissis, hanc mihi redde. Tu autem, Vlysses, humanam formam iam impetra mihi. Vly. Certe iam mihi videtur egregie functus munere suo noster Asellus; quamobrem oro te, Circe, corium rudentis ex eo deme, qui se tam eruditum præstitit; ac hominis effigie remunera. Cir. Ita mihi quidem etiam faciendum videtur: sed Sibyllæ quoque iudicium expeto ac expecto. Sib. Quum Asinus hic viriliter egerit caussam Vlyssis, multiplicique doctrina & eruditione in propositis os veruecis obturauerit: nec habeat aduersarius amplius hilum quod eloquatur: pronuncio Asinum victorem Veruecis, & humana specie dignum: qua tamdiu veruex priuabitur, donec resipiscens palinodiam canat. Cir. Immo vero, non solum in pœnam summæ præcacitatis, & maledicentiæ: sed vt magis teneatur desiderio recuperandi formam humanã: acriorique stimulo iam impellatur ad resipiscendum, ac tandẽ in posterum desinat viros probos probris improbe lacessere,

suæque

ſuęque vitę fœcem ſcurrilitati deſtinare, nunc virgæ tactu medium a ſpatulis ad clunes, partem ſuperiorem dorſi totius ad ilia lumboſque protenſam & ad confinia pectoris transformo in luridum, tumidumque Bufonem, mire miſereque veruecí medio ſuperne conglutinatum: cuius bucca veruecinæ caudæ locum poſſideat: degatque Bufo-veruex, vt ait *u* Poeta *u Vir. Aen. 3.*

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum eſt mentis: quod tum ex poſteriori capite liuidi bufonis maledicentiæ virus emittere ſoleat aſſidue; ſudetque bufo græcanicas corruptelas, & mejat Rabinica deliramenta: tum ex anteriori capite veruecino nunquamnon prodeant inſcitiæ, probrorumque fœces, latinæ linguæ vitia, ſolœciſmi, barbariſmiq; frequentes. SIB. Heu quam difficile eſt morum peruincere monſtra? permanebit iſte ſemper ita deformatus, nunquam reſipiſcet ceruicoſus, & quocumque alio Iudæo obſtinatior. *Bufo-veruex.* Heu me miſerum! iam habebit Vlyſses (quod ego ſemper mihi merui) meam imaginem inter Monſtrorum differentias. SIB. Merito hæc pateris. nam iure. *Quod quiſque fecit, patitur: Autorem ſuum repetit premitque crimen, vt pœnas luat.* Sed parumper expectato: Regulus tecum non æquo marte dimicabit: profero in medium duas poſteriores ſectiones, quas tibi dicis *x in prælo manere*, caſtrenſi prorſus elegantia; quum dicendum fuerit, ſub prælo eſse; prælum enim comprimit, non continet: tibi vero ex vſu eſset, eas in prælo manere, ne promulgatæ tuam magis prodant inſcitiam. VLY. Omnes igitur vnanimes Iudicium Sibyllæ de noſtro Aſino reformando in Epeum hominem approbamus. AS. O Iudicium iudicio Paridis æquius, & mihi ſa[illegible]brius! CIR. Euge, Leucippe, lectas mihi Roſas affer [illegible] [illegible]uio viridarij occidentali, quarum eſu ſtrigoſum exuat A[illegible]num, & fortem ruſus induat Epeum victor hic pugnæ litterariæ; ſimplicia deprome roſarum folia ſine ſpinis, Florum inquam folia rubra tenella, non autem fruticis aſpera & viridia. LEVCIPPE. Actutum, *Domina*, pergo lectura roſas, & quantocyus allatura. CIR. Interim dum famula roſas carpit, & affert, explica nobis, Aſelle, cur iudicium Sibyllæ iudicio Paridis vt æquius prætuleris, ac vt tibi ſalubrius? AS. Id ex euentu conijcio: quoniam illud iudicium Paridis conſecuta fuit mors Alexandri, & ruina regni paterni ditiſſimi, & ampliſſimi: hoc autem iudicium Sibyllæ, ac veſtrum, me de bellua reformabit in hominem. Sed hac de re tibi melius Vlyſses, & Sibylla ſatisfacient, o Circe; nam huiuſmodi iudicium apud eruditos controuerſum melius ab eis ad-

truti-

trutinam reuocabitur, quam a rudente: libenter hac de re sententiam ipsorum audirem & ego, dū rosas præstolamur. CIR. Nos autem tui dicti rationem reddere non debemus, sed tu, cuius sententiam exoptamus audire: quare potius nos tibi cōtradicemus, vt ex te germanum tuum sensum exprimamus. Vlysses obijce tu primus Asello quidpiā in proposito. VLYSSES. Libenter: quomodo tibi salubrius est, Aselle, iudicium hoc Sibyllæ, quo speras ex Asino in hominem reformari, quam fuerit illud iudicium Paridis, sine quo tu ex inglorio lixa & calone, adinstar asini, baiulante aquam ad Atridarum tentoria, factus es Heroum Græcorum vnus; vt contestatur in Idyllio Securis Simmias Rhodius? As. Tu me sic teneas Vlysses? De hac re pro me tibi ex temetipso respondet Plutarchus inquiēs
y de commun. not. in opusculo aduersus Stoicos y edito, *Aiunt enim Stoici, Heraclito, & Pherecidi conuenturum fuisse, si res tulisset, vt virtute ac sapientia dimissis finem aqua inter cutem, & morbi pedicularis mercarentur: Quumque Circe duo vsurpet venena, quorum vnum*
z Odyss. 10 *Stultos z de prudentibus, alterum a prudentes de Stultis redigeret;*
ver. 235. *Vlyssem bibere Stultitiæ potius poculum, quam transire in bestiæ for-*
a ibid. v. 391. *mam, præditum sapientia, et nimirum simul etiam felicitate. Atque hæc aiunt ipsam dictare & hortari sapientiam, Missam me fac, nec rationem habe pereuntis, & in asini faciem discedentis; nimirum diceret non nemo, asini est quæ hoc suadet sapientia; quando sapere & felicitate frui bonum est; asini circumferre faciem indifferens;* At his melius est Hominis circumferre faciem; quare non habeo rationem asini eruditi, potiusque cupio fieri homo insipiens lixa, calo, & siquid aliud est deterius in humano genere, quam permanere in asini forma. VLY. Vt hæc vera sint: non tamen iudicium Paridis iniquum fuisse dicendum; quum æquissimum fuerit, quo Pomum aureum Deæ datum fuit; Veneri namque Deæ pulchritudinis a Paride concessum; qui iussu Iouis pulchriori Deorum id tribuere debebat: & quomodo Iupiter omnia sciens, & Alexandrum eligens, in eligendo Iudice decipi potuit? As. Hæc solutu longe difficiliora sunt, Vlysses; verumtamen enitar & istas difficultates euadere. Profecto iudicium Paridis iniquum fuit, atque stolidum; in primis enim quum pulchritudo triplex in homine sit; vna quidem corporis, cui formositati venus ipsa præest, Dea voluptatis: alia vero animi; quæ gemina est; quum animi duæ partes sint, Intellectus nimirum, atque Voluntas: Intellectus pulchritudo nititur Habitibus intellectualibus ac omnino sapientia; cui præficitur Minerua, scientiarum & artium Magistra: volun-

ratis demum pulchritudo est actuosa Philosophia, siue Moralis; ad quam attinet Regna, & Imperia, ciuitatesque gubernare; quæ proinde Iunoni fuit attribura. Discordiæ Dea, quæ descripsit in Pomo, *Pulchriori detur*, vt pomi munere significare potuit tum [b] præmium pulchritudinis; tum etiam vitam humanam, quæ veluti pomum breuis durationis attribui potest & voluptatibus Venereis, & Contemplationibus Palladijs, & actionibus Iunonijs: ita semper ostendit iudicium Paridis iniustum fuisse; quia primo si pomum accipitur vt præmium, certe voluptati ac vitæ voluptuosæ, pulchritudinique corporali, prout seiungitur ab animi pulchritudine, nullum omnino præmium debetur; quum sit meta quædam naturæ qualitas nullum meritum ponens in possidente. Quum autem Venus haberet solam corporis pulchritudinem, non item animi; quod antiqui significauerunt, eam oculis poetam effingentes, quasi luscam; oculi namque sunt Symbola partium animi, mentis nimirum, ac voluntatis; quod & Aristoteles indicauit; cui Deus, & mens maximam habent [c] cognationem generis; & quemadmodum in corpore [d] visus est, sic in anima est mēs, & aliud in alio, nimirum in animo voluntas: propterea vt oculis, quos ipsa Venus limos habebat, pulchris ab alijs superabatur; quia Pallas absque distorsionis turpitudine cæsia, vel glauca celebratur: & sane Priapeiotum Autori apud [e] Gyraldum,

Minerua flauo lumine est, Venus pato.

& Ouidio [f] arrem amandi docenti,

Si pata est, Veneri similis; si flaua, Minerua.

pætus est enim, qui obliquis oculis aspicit: & hoc visium est turpitudinis; siquidem [g] Horatio

——— amatorem quod amica
Turpia decipiunt secum vitia, aut etiam ipsa hæc
Delectant: veluti Balbinum polypus Agnæ.
Vellem in amicitia sic erraremus: & isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater vt nati, sic nos debemus amici,
Si quid sit vitium, non fastidire: Strabonem
Appellat patum pater; & pullum, male paruus
Si cui filius est; vt abortiuus fuit olim
Sisyphus: hunc varum distortis cruribus, illum
Balbutit scaurum, prauis fultum male talis, &c.

Quinimmo si cum erudito [h] Misoponero sentiendum est, vt videtur, *Mentiuntur poetæ omnes (quidni mentiantur fabularum*

b *Lucian. to. 2. dial. de iud. Dear.*
c 10. *ethic. cap. 6. & 10 Ethic. cap. 8.*
d 1. *Ethic. cap. 6.*
e *Syntag. ii de Poet. hist.*
f *lib. 2.*
g *Serm. 1. sat. 3.*
h *Casaub. descr. 15.*

omnium architecti, quum nihil quam mendacium negocientur?) qui specie bellissima Venerem esse volunt: fœda, spurca, & ad omnem deformitatem insignis est: fidenter dico; neque spatolocinædi & iuuenes illi venerei, quibus illa pro omni numine, me terrent: nam quid ego timeam enerues, & euiratos, quos imbelli cum sexu libido coniunxit? fœda, itero illorum gratia; fœda, spurca, & deformis venus est; immo fœditatis, & spurcitiei parens. Pernegatis? Agite, si tanta fuisset forma, quanta vos, qui vestra libidinis fœditatem, fictitia eius formositate superuestitis vultis, quomodo inuiolata Iouis æquitas, quæ similem cum simili nunquam non sociat Rhaps. 17 *(vt apud Odysseæ conditorem, recte quidem, & supra quam ferat fortuna Caprarij, dicit Melanthius,) deformi eam Vulcano nuptum dedisset? Quis enim inter plantas Thetidis etiam argenteis elegantiores, cum pedibus distortissimis consensus sit? quis inter oculos callido amore acutissimos, cum assiduo ferri candentis vsu hebetibus? inter niueos Galatheæ digitos; cum ferrugineis, & manibus pene dixerim tartareis? inter frontem Lunensi marmore candidiorem, & ferreo colore Basaltes teteriorem? inter auro rutilam Amathiæ cæsariem, cum pilis non vna nigris fuligine? inter genas rosarum & liliorum cognatione blandulas, cum adustis cinislonis?*

Iungantur iam gryphes equis,

si tam discrepantia coniuncta sunt. Etiam instatis, Venerem & Vulcanum diuino vinculo copulatos? aut igitur æternum iustitiæ parentem iniquum esse, aut non vsque eo Venerem a deformitate Vulcani dissedisse dicendum: illud omnes refugiunt; hoc soli impuri, qui in impuritate puros se dicant. Quin ergo Venerem deformem dicimus? Deformis est, fœda est, & ita deformis, vt animum etiam deformet; ita fœda, vt nemo non fœdus ei supplicet: Cuicumque illa placet, placet corporis turpitudo, & animi displicet pulchritudo. At cum Poetis omnis reclamat antiquitas formam Aphrodites passim ingerens? vt æuum nostrum suam habet spumam, ita fæcem suam antiquum; multa vtrumque propinat, quæ gustare satius, quam ebibere: Plura cum grauitate probarunt antiqui, quæ non sine cachinno improbent nostræ tempestatis idiotæ; multo etiam plura nos dicimus, quæ illi risissent. Sed hic antiquitas culpa vacat, quũ enim formosam Venerem nominauit, non natiua eam voluit, sed fucata tantum pulchritudine præstare; quæ quidem pereat, quoties in coniugis complexum, atra semper fauilla obsiti, implicetur. A sordido sordidi congressu, semper aliquos, alias nunquam, ex teterrima Hili tyrannide, et cæcis illius labyrinthi flexibus educit: quumque id temporis obliterato fuco maritali fuligine coinquinata fit Venus, hinc est quamobrem nemo vnquam in medium Naturæ regnum

exeat,

exeat, nisi atratus, contagio scilicet spurca ianitricis, atque adeo Veneris. Sic itaque Poetæ Venus distortos oculos, & oblique tuentes habuit, nec integra corporis pulchritudine fuit; nec animi sapientia, nec morum honestate præstans extitit: immo vero fœda, & impura, nec nisi fucata pulchritudine speciosa. quare donari non debuit, pomo, quod erat præmium veræ pulchritudinis; quum in Mineruæ, Iunonisue corpore nullum fucum, nullum omnino vitium notauerit Antiquitas; & intellectus Palladis habitibus doctrinarum & artium ornatus esset, ac Iunonis voluntas virtutibus moralibus mire cōdecoratetur. CIR. Tu vero, Aselle, si iudex formæ reliquarum electus esses, cuinam duarum pulchriorum pulchritudinis præmium dares aureum pomum? As. Durum mihi negocium proponis, grauissimum mihi onus imponis, o Circe; nam quicquid honoris habeo, totum id Mineruæ acceptum refero, quæ mei misertа, dum lixa coquusque portabam aquam, & parabam cœnam Atridis, me docuit Equi Duraterk fabricam, per quam ex inglorio calore numeratus fui Dux inter Heroas Achiuorum; quum tamen Palladem hac in quæstione Iunoni secundam me facere necesse sit: quia si spectemus pulchritudinem corpoream, Deo Minerua notatur oculis cæsiis, glaucisue, qui coloris pulchritudine non ita præstant; & nescio quid rigidi minacisque spirat e vultu; quod vtcumque Gratiam, & amabilitatem formositatis extenuare videtur; vnde tetricæ, crudæ, truculentæque cognomentum adepta fuit. nam l Martiali Plinios

k *Sim. Rhod. in fecur.*

l *lib. 10. epig. 19.*

Totos dat tetrica dies Minerua.

Quintiano Poeta

Protegis, & crudam fers Aegida cruda virago.

& Mantuano,

Sic affata truces vmbras truculenta Minerua.

Decuit autem eam supra femineam mollitiem, & comitatem amabilem, quæ condimentum est ac flos quidam pulchri vultus feminei, esse tetricam, crudam, & truculentam, quæ genita fuit sine concursu feminæ matris vllius a solo patre Ioue Deorum robustissimo. Si vero de pulchritudine animi sermo fit, habet sane Pallas pulchritudinem mentis eximiam, prędita decorataque cunctis virtutibus intellectualibus: ast ob has virtutes illi non darem aureum pomum prętium pulchritudinis; quia virtus intellectualis precium ac pręmium ipsa sibimetipsi est; sibimetipsi sufficit, externis non indiga bonis. At vero Iuno tota florida, corpore, mente, ac voluntate; qua-

propter Anthia vocatur a Pausania in Corinthjacis; & ab Eupoli apud Gyraldum dicta est Bouinis-oculis, quod haberet oculos pulchros decenter magnos: & ab Hesiodo in Theogonia nuncupatur Albi-vlna, quod albos haberet lacertos, vlnasque candidas: quas duas formositatis notas Iunoni passim attribuit Homerus. Atqui vt oculorum pulchritudo symbolum est pulchritudinis intellectus, ita candor vlnarum index est formosæ voluntatis; nam vlnæ sunt actionum tessera, quod
m 3. de an. t. 38. manus instrumentum instrumentorum ab m Aristotele definiatur: & instrumenta referantur essentialiter ad operationes, & actiones: quarum voluntas est opifex primarium: Ac reuera Iuno regnis præfecta Maiestatem imperij designat: qui vero bene gubernat Rempublicam non solum voluntatem habere debet probe affectam virtutibus moralibus, verum etiam oportet ei mẽtem instructam esse habitibus intellectualibus; quia voluntas fertur in præcognitum necessario: nec decreto Platonis gubernandæ Reipublicæ satis idoneus est nisi sapiens simul atque bonus (additur a veteri Poeta) & decorus, quia si Plato statuit beatam fore Rempublicam, quæ regatur a Domino philosophante, vel a Philosopho dominante, sic
n Eurip. antiquus n Poeta cecinit Primam speciem esse dignam impe-
o cap. de sp. rio, vt adnotabat o Porphyrius: aurea verba Platonis ea sunt,
p 5. de Rep. p *Nisi Philosophi ciuitatibus dominentur, vel hi qui nunc Reges potentesque dicuntur, legitime sufficienterque philosophentur, idemque ciuilis potentia & philosophia concurrant; neque, quod nunc fit, a diuersis duo hæc tractentur ingenijs; non erit ciuitati, vel, vt mea fert opinio, hominum generi requies vlla malorum: neque prius hæc respublica, quam verbis exposuimus, orietur pro viribus, & lumen Solis aspiciet.* Quum itaque venus habens vnicã pulchritudinem corporis, eamque deformatam vtcumque oculorum distorsione Palladi cedat in forma; nullam deformitatis labem habenti, sed primæ corporeæ formositatis secundam sociam intellectus pulchritudinem obtinenti: iam Paris iniusto iudicio præmium pulchritũdinis Veneri dedit neglecta inique Minerua. Quum autem Iunó veneranda oris Maiestate, vniuersique corporis specie spectabilis, absque næuo penitus vllo, primæ corporis pulchritudini, non solum secundam Intellectus formositatem, sed etiam tertiam comparem habeat voluntatis venustatem adiunctam: procuidubio, si noluero cum Alexandro Phrygio iudex iniquus haberi, necesse prorsus est a me Iunonem, quæ sola trium Dearum terpulchra est, & omniquaque pulchra, pulcherrimam omnium illarum pronunciari,

nunciari, & aureo pomo pulchritudinis seu præmio, seu symbolo donari. Neque vero mihi Pallas ideo succensebit, quæ rationum allatarum momentum optime percipit: quæque nouit, Sapientem aptum semper esse pro veritatis incolumitate propriam etiam opinionem optionemque refutare: quod perspicuis verbis, apertoque decreto sanxit Aristoteles inquiens, q *Quamquam arduam nobis hanc quæstionem futuram esse video; propterea quod amici sunt, qui formas introduxerunt: sed forsan rectius esse, & oportere videretur, vt pro veritatis salute vnusquisque, & præsertim Philosophi sua quoque propria refutarent: nam licet amici ambo sint, sanctum est veritatem ipsis in honore anteponere.* CIR. Sed si pomum significet vitam humanam, cui trium Dearum exhibebitur iusto iudicio? AS. Epicurus fortasse Veneri, Sardanapalus certe Paphiæ, qui felicitatem humanam in voluptate corporea sensualique posuisse videtur: Epictetus autem, ac Stoicorum vnusquisque Mineruæ pomum concesserint; quum hi summum bonum in vna sapientia ponant, quæ mentis est habitus: ast ego pomum aureum humanæ vitæ Iunoni dederim: primum quidem secundum decreta r Platonis; cui tres quum insint in nobis animæ, quæ veluti tres Deæ vitam humanam possidere gestiunt; Concupiscibilis in imo ventre siue in Iecore sita; quæ mystice Venus appellatur, ventris imi dedita voluptatibus, quæque sine Cerere & Baccho frigere dicitur: Irascibilis in thorace, siue in Corde collocata, quæ Pallas armorum ac belli præses describitur: Et Rationalis in capite siue Cerebro degens, velut in cœlo, Intellectus & mens appellata mystici Iouis, nimirum Appetitus rationalis coniux & soror vocatur symbolica Iuno: neminem puto futurum inter Academiæ proceres, qui non iudicet pomum humanæ vitæ dandum non esse Veneri, seu ventri, ac animæ concupiscibili in ventre degenti; quod malo suo maximo Paris ille præstitit, Helenam sibi rapiens, & adulterio suis funesto regnum, parentes, & fratres plurimos inclytos, nobiles nubilesque sorores misere perdens. Ego vero mecum inquit Athenæus, *Paridis iudicium, quod antiquitus factum est, voluptatis virtutisque comparationem esse contenderim: Quum Venus igitur potior indicata fuisset, idest voluptas, omnia confusa perturbataque sunt.* Nec etiam arbitror ex eorum sapientum decretis, viuendum esse secundum perturbationes appetitus Irascibilis; adeoque pomum aureum humanę vitæ statuent vnanimes Platonis asseclæ concedendum non esse Bellonæ; tū quod experimento didicerim bellatores homines, etiam post

q 1. *Ethic. cap.* 6.

r *in Tim.*

partam victoriã, ver plurimum vitam ærumnis plenam habere, ac exitum vitæ prorsus infelicem; nam, vt Hectora taceam, & fratres, omnes Græcorum Duces a capta Troia vagi per mille discrimina rerum iactati pessima passi leguntur, & tu per experientiam noscis Vlysses: tum quod Plato duplare cubum
t 7. de Rep. Apollineum t edocens suos Athenienses retrahere studet a bellis, & ad iustitiam recte colendam attrahere, quod notat etiam Plutarchus agens de Genio Socratis. Quare pomum hoc pulchrum humanæ vitæ de Platonicorum sententia donandum est mysticæ Iunoni, hoc est Animæ rationali, quæ duplici facultate pollet, Mente, ac Voluntate; quas debet homo vir tota sui vita colere. Deinde vero secundum Aristotelem, cui vita mortalium hominum tribus potissimum ceu dominantibus regitur animæ partibus, seu facultatibus, Concupiscentia, quæ Venerem representat; Mente, quæ Mineruam; & Voluntate, quæ Iunonem indicat, secundum Aristotelem inquam pomum humanæ vitæ non est donandum Concupiscē-
u 1. polit. tiæ Veneris, sed vel Mineruæ contemplatrici, vel potius Actioni Iunoniæ; quia quum homo sit natura sociabilis, atque ciuilis; si quis communem societatem vitauerit, vt solus vni contemplationi sub Minerua totam vitam degat, ille cum supra conditionem humanam elatus, Diuinam quodammodo naturam induit; aut melancholicus nimia speculatione redditus amens in bestiam degenerat; quod Aristoteles obseruat,
x ibid. inquiens, x *Qui autem in communi societate nequit esse, quique nullius indiget propter sufficientiam, nulla pars est ciuitatis: quare aut bestia, aut Deus; natura igitur omnibus ad huiusmodi societatem est appetitus.* Immo vero Pallas vt armorũ & bellorum Dea; Iunoni deseruit, ac pomum humanæ vitæ Iunoni concedere debet; etenim bella geruntur, vt Reges dominentur, ac in tranquillo statu Respublicas moderentur: quod nos
y 10. ethic. cap. 7. edocuit Aristoteles, cui y *Bellum gerimus vt in pace degamus; nemoque est, qui vel bellum expetat vel apparatum bellicum faciat bellandi caussa;* Sed vel dominãdi, vel pacate viuendi; quod vtrumque munus Iunonis est, dominari, & pacate regere mortales. Iunoni ergo pomũ aureum donandum erat, neglecta Venere, potius quam Palladi. Sib. Fortasse veteres, qui multa sacræ paginę mysteria fabularum inuolucris contexerunt, hoc pomo aureo, Paridisque iudicio velauerunt posteris
z Genes. c. 3. primorum parentum conditionem; Discordia namque dea
a de mund. opif. fuit Diabolica z serpentis astutia; Mercurius calida Diaboli persuasio; Pomum, teste a Philone, vita humana; Paris pastor

Re-

Regius adolescens in Idæ nemore pulcher cum Oenone Nympha coniuge, Iuuenis a Deo recens formatus Adam formosus in Paradiso voluptatis cum Eua vxore viragine; quum autem Adæ præcepisset Deus, ne [b] vesceretur de ligno scientiæ boni & mali, sed in paradiso voluptatis operaretur, & custodiret illum, quia quacunque die comederet ex eo, mortis pœnam incurreret; ita finxerunt Poetæ Parin a Priamo rege patre positum in Idæo monte delitioso, vt operaretur pascens greges, indeque disceret fieri Pastor hominum, & custodiret greges, quo suo tempore nosceret homines imperio suo subditos custodire; careterque contemplationi soli rerum sublimium totam suam vitã dare, proindeque comedere de ligno scientiæ boni & mali. Sed quemadmodum Adam appetens fieri Deo similis per cognitionem scientiæ boni & mali contra præceptum Domini suasu vxoris comedit vetitum pomum, quod mulieri visum est bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, & aspectu delectabile, ab ea porrectum est viro suo, qui comedit: ita fabulati sunt veteres Paridẽ appetijsse Deas nudas videre, suasuq; veneris pulcherrimam Helenam sibi promittentis vxorem, aureũ pomũ vitæ suæ pulcherrimũ veneri dedisse, hoc est ventri suo; nam vitam cupiditatibus gulæ concedens, indeque suscitatam concitatamque venerem audiens, quæ sine Cerere & Baccho frigens elanguet; auditi pulchritudine Helenæ, ad eam rapiẽdam perrexit ex Asia in Græciam: vnde mortem, & omnia mala sibi, & suis comparauit: quæ deuitasset, si pomum Iunoni actuosæ dedisset, addiscens ex custodia gregis, & operatione circa pecudes artem pastoralem, qua posset Regni paterni partem apte moderari: nam, vt ait Aristoteles, [c] *In vnaquaque ciuilitate eatenus amicitia apparet, quatenus & ius: Regi sane erga subditos in beneficijs supereminentia: bene facit enim ijs, qui sub regno suo sunt: siquidem bonus quum sit, ipsorum curam habet, vt bene agant, non secus atque ouium pastor: vnde Homerus Agamemnonem pastorem populorum dixit.* VLYS. Hæc equidem mirifice probant Aselli sententiam: sed tamen, quod ei primũ obieci, non videtur Paris iniusto iudicio pomum Veneri donasse, quoniam electus iudex a Ioue omniscio, qui falli non potuit in eligendo judice inter vxorem & filias. As. Neque vero culpandus est Iuppiter, quod Paridi commiserit iudiciũ Dearum; quoniam Deus hominem condidit libero pollentem arbitrio, ac in illius potestate reliquit concedere pomum suæ vitæ vel Veneris voluptatibus, vel Mineruæ contemplationibus, vel Iunonis actionibus ciuilibus, qui si subditos sibi populos,

[b] Gene. 2.

[c] 8. Ethic. cap. 11.

pulos, ac filios custodiens, ac bene regens (qualis enim est regia potestas erga subditos: & pastoris erga oues, [d] Aristotelis decreto, talis paterna etiam est erga filios, tametsi magnitudine beneficiorum præstat) Iunoni pomum dedisset, a summo Ioue præmijs condignis cumulatus fuisset, vt ex aduerso pœnis & morte mulctatus est, quoniam iniusto iudicio Venerem reliquis melioribus, ac præsertim Iunoni præferre voluit intemperans. VLYS. Optime dubitationibus occurristi: Quare iam tuis dictis atquiesco. AS. Itaque tandem, o Circe, promissa tua comple, Vlyssis preces exaudi, Sibyllæ iudicium executioni manda, & meum Asinum in Epeum hominem reforma: ecce nunc Leucippen ancillam in calatho Rosas afferentem. SIB. Iustum est vt id efficias, o Circe. CIR. Cape Rosas Asine, comede, statimque tu, qui disputatione te virum eruditum gessisti, remigra in hominem, & audi Epeus. Imò verò, vt sis in posterum securus ab omni fascinantium telo, en præbeo tibi parmam hanc è palmę ligno osseo dente limato, quam gestabis in mei memoriam. AS. De parma quidem palmea fascinãtiũ ictus eludẽte, quę mihi quibusuis Ancilijs gratior futura sẽper est, ingentes tibi gratias, dum viuam, habiturus, interim quas possum maximas ago in præsentia. Libentissime verò comedo salutares mihi Rosas, cupidissimeque deuoro. CIR. En Vlysses modo protinus asino delabitur deformis & ferina facies; ac primo quidem squalens pilus defluit, ac dehinc cutis crassa tenuatur, venter obesus residet; pedum plantæ per vngulas in digitos exeunt: manus non iam pedes sunt, sed in recta porriguntur officia, ceruix procera cohibetur: & os, & caput rotũdatur, aures enormes repetunt paruitatem pristinam, dentesq; saxei redeũnt ad humanam minutiem. EPEVS. Et, quæ me potissimum cruciabat ante, cauda nusquam comparet: sed indue me nudum, Circe, quamuis enim compressis in arctum feminibus, & superstrictis accurate manibus, quantum nudo licet, velamento naturali probe munire me studeam, quum me primum nefando tegmine despoliauit Asinus: tamen rubore perfundor aute tales mulieres & Vlyssem adstare nudus. CIR. Leucippe impigre superiorem tunicam tuam exue, ac ipsum celerrime operi: & propere perge domum, statimque tunicam lineam illi defer cum clamyde aptiori. Nimirum stolam Medicam seu Persicam, quam Doryphoricam appellamus. Xictori enim serica vestis conuenit. LEVC. En factum Domina primum, ad secundum propero. VLYS. Gratulor iam tibi plurimum, Epee, quod Asino deiecto pristinum hominẽ teneas.

[d] 8. ethic. cap.

Ruel. de na. Stirp. Lib. 1. Cap. 108.

e Apule. 11 in exum.

Ael. Var. Hist. Lib. 1. Cap. 22.

teneas. Epe. Gratias & ego Sibyllæ, Circi, tibique, Vlysses, maximas habeo, quorum beneficio nunc ex Asino vir & Epeus audio; neque solum animo, sed opere tibi gratus esse volo; quia si Asino molestiam veruecis adimere potui, spero me hominem Mulctræ contentionem etiam ademturum; quam statim aggrediar, vbi primum elotus fuero proximi fontis aquis, in eisque deposuero tetrum Asini fœtorem. Levc. Cape chlamydem, Epee, cum interula; meamque mihi redde tunicam. Epe. Actutum eam tibi reddam, quum reuertar purgatus aquis; nam hic me nudare non decet; neque volo nisi lotus interulam induere. Cir. Ita fiat: ceterum, Epee, satius est te primum extra viridarium pergere ad proximi maris vndas; quatum salsugine melius absterges, quæ tibi supersunt in corpore sordes Asini; deinde salsuginem marinam dulcorare poteris & abluere totam fontanis aquis. Epe. Recte mones: abeo lymphis vtrisque me totum lustraturus; & breui redibo. Vlys. I felix.

FINIS.

Præſens opus cujus titulus eſt, *Dialogus de Alimento* chartarum in fol.93. cujus initium eſt, *Quid audio* &c. & finis *Ifelix.* fuit viſum, & pro impreſsione approbatum a me infraſcripto Inquiſitore Patauino, & opus eſt Excellentiſsimi D.D. Fortunij Liceti Genuenſis &c.

Ita eſt ego Frater Antonius a Lendenaria Inquiſitor Generalis Paduæ.

Vicenzo Capello Procur. Ref.

Angelo Contareno Cau. Ref.

Geron. Cauazza Secr.

Lectori menda correcturo primus numerus pagellam indicat, secundus lineam, etiam quando vnicus est: primæ dictiones sunt errata, secundæ vero correctiones.

Dedicationis

Pag. 2. l. 20 *begnitati* benignitati

Præfationis

1 4 *Parenetica* Parænetica,
10 *hemine* homine
2 9 *existimatione* existimationem,

Dialogi

1 7 *Athi* Atho
3 27 *lædariorum* lædoriarum
4 20 *acbesset,* abesset
5 39 *ac* quàm
6 29 *paiuei* parui
9 11 *Thurre* Thure
22 *nequeas* nequeas: Nam & in Petronij Fragmentis legitur:
Iudæus licet & porcinum numen adoret,
Et cali summas aduocet auriculas:
Ni tamen & ferro succiderit inguinis oram &c.
10 37 *Thuscia* Thusca
39 *Thusciam* Thuscam
11 1 *accidit* accidit
13 12 *exuperasse* exsuperasse
15 18 *ambigerunt,* ambigebant,
32 *Valeriani,* Valeriani.
39 *ἐγνωμιον,* ἐγκώμιον.
18 34 *ambitum* ambitum
19 5 *dicitu* dicitur
25 *penas.* pœnas.
26 *minas,* minas,
21 3 *a ste* abs te
22 11 *feuper* semper
24 16 *crassissimis* crassissimis
26 9 *Atuero* At vero.
21 *interpraeters* interpretes
30 22 *Xerse;* Xerxe;
31 33 *pusilanimis* pusillanimis.
32 33 *facientem* facienti
33 18 *Nonne* Nonne

23 *corticeant* conticeant
34 37 *pateras* poteras
34 15 *venre.* ventre
35 6 *reliqua* reliquo
36 15 *Bacchanalia* Bacchanaliá
37 30 *Rechum non* (Rechum non)
38 1 *Liguria:* Liguriæ:
10 *ad verbum* ad verbum:
39 21 *interrogationes,* interrogationes
40 33 *dignitatum* dignitatum
45 3 *Licetum* Licetum
5 *demonstrauit,* demonstrauit,
46 34 *facimus,* facimus,
48 28 *prefatum* præfatum
51 26 *debuerat* decuerat
52 16 *bouem illum* bouis illius
53 37 *predicas,* prædicas
54 39 *ἐξυσαν,* ἔξυσαν.
55 34 *Cicero;* Cicero. quin & vetus inscriptio habet:

L. Vitruuius
L. L. Cerdo
Architectus.

Sed qui te Mercurium facis, aptius tibi quam Vlyssi Cerdonis nomen imponere debueras: audi Suidam, κερδῷος θεὸς lucrosus, vel lucrifer Deus Mercurius dicitur. vocant eundem & nuntium & furem; quare illi marsupium attribuunt & præsidem statuunt sermonis & furti & mercimoniorum, quem Festus maleuolum Mercurium dicit.

56 4 *Ecce* Ecce
59 29 *genui* genus
16 *Empyricus,* Empiricus,
61 17 *concederunt* consederunt
64 2 *nonu uentes* non vinentes
65 4 *hidrapici* hydropici

Aa 2 Ari-

66 5 *Aristeli* Aristoteli
68 36 *secundum* secundum
69 28 *teibuls* tribuis
70 8 *expurgas* expungas
71 8 *Cathegoricum* Categoricum
75 13 *ten ens* tenens
78 24 *inprimus* in primis
79 28 *nominatiuũ* tam nominatiuũ
33 *grãmatices* grammatices
81 04 *seinuicem* se invicem
38 *diobolario* diobolari
83 11 *representat;* repræsentat;
14 *natiuua,* natiuus,
85 39 *ἀισησις, αὐθησις,*
42 *attributis,* attributis;
86 25 *contouersia;* controuersia;
87 16 *secundum* secundum
89 31 *modum* nodum
91 27 *supectum* suspectum
92 37 *mesarei* mesarei
93 38 *obrizum* obryzum.
94 2 *postq;* portque
3 *esce* esse
34 *margine,* margine.
100 5 *Grece* Græce
16 *Hebrea,* Hebræa,
101 36 *viraginem:* viraginem:
102 21 *disiunctum* disiunctiuum
35 *ilum* illum
103 7 *salutem* salutem;
9 *posse:* posse?
33 *enormitatis,* enormitatis,
104 19 *videntur* videatur
35 *potui* potuit
105 38 *parietas* parietes
106 4 *habitus* habitus
107 6 *eadem* eædem
108 39 *abque* absque
111 2 *syllogismum* syllogismum
27 *ab* ob
112 40 *animam* animata
113 14 *corpori* corporis;
38 *esti* est;
114 18 *Neuchim* Neuochim
25 *coniunganteur* coniunguntur
117 6 *parallogismum* paralogismum
12 *dissimularitis* dissimilatis
120 3 *propositio* præpositio
8 *habituoso* halituoso.
30 *perpetiuntur;* perpetiuntur;
37 *sufficit.* Sufficit.
121 1 *omnibus* omnes
25 *duplice* duplici
35 *sic* patiuntur, sic
37 *ab* ob
38 *augusta* augustæ
39 *ueue* uenæ
122 9 *quod veteres* quo veteres
10 *contemplationem* contẽpletionẽ
124 16 *eodem* eadem
20 *garriendam* garriendum
21 *natura.* Naturæ
27 *Contemplationẽ* Contẽpletionẽ
125 2 *tura* natura
13 *molam* molem
21 *aurem* autem
126 8 *ἀνδραγοι* ἀνδραγάγει
23 *abest* obest
126 28 *π, ν,*
42 *sapienter* sapientes
129 1 *omn* omni
11 *præcipua* præcipue
20 *illud* illud;
130 41 *articulares,* articulares.
131 10 *est* est;
133 19 *rationalem & irrationalem* rationale & irrationale
134 5 *prefer* Refer.
17 *alteram* altera
135 7 *apposita* opposita
8 *multo* multa
25 *seseque,* seseque
136 17 *simul,* simul.
138 29 *queadmodum* quemadmodum
140 22 *merui,* nerui,
142 17 *lentem* lentum
143 9 *quam* quum
145 31 *quare* quem
37 *eum* dele
147 27 *quum* quam
148 7 *quod* perit quod
14 *plerosque alios viros probos & doctos* plerisque alijs viris probis & doctis
24 *hunc* hanc
θερμενόμενον Θερμαινόμενον
τὸ-

23 *vacuus* vacuum

150 28 *essenteranter aslatum*, asseuerãter allatum

151 10 *transiturum* transitum

17 *attrahent* attraherent

152 9 ἔραμας ἔραμαι

16 ἰνδκατᾶιος ἰνδικατᾶιος.

154 22 *scire* sciri

155 24 *suppreso* suppresso

33 *nutriunt* nutriuntur

157 14 *digere* degere

18 *ea* eo

158 7 *excedentibus*. Adde. Sic temperamentum biliosum, & melancholicum dicitur, non in quo bilis & melancholia sanguini & pituitę prędominetur, maiorisque sit vbertatis; hoc enim fieri non potest viuente animali: sed quia bilis & melancholia, licet in corpore reperiantur minori mole quam sanguis & pituita, tamen in corpore magis abundant, quã par sit, & bonæ temperaturæ conueniat.

18 *mussam* massam

160 27 *acte: acie*

161 18 *tua* tua

41 *nutritioni* nutritione

164 16 *externos* externas

165 10 *obijceris* obieceris

18 *Cythare* Citharæ

33 *infausti*. infanti

166 11 *qua Adagiographus* Adagiographo

167 11 *parallogizare* paralogizare

18 *quares* quare

21 *coctionem*, coctionem

26 *ordini* oriri

168 22 *qua*, qui

34 *retulit* retuli

35 *cadisse* sedisse

42 *paruulus dies similes* paruulus dies simile

169 17 *alij* alia

34 πράττειν. πράττειν.

171 9 *tunc* tum

12 *eos* eas

13 *valeas* valens

14 *altum* alto

33 ad marginem I.h.] Iul. Guast.

173 33 *nescio qua* qua nescio

174 6 *cudis* cadis

7 *culpa* culpa

14 *&* es

17 *longam* longat

19 *desunt* hi versus:

Laudibus es dignus nõ laudatore Carines
Laudator generat dedecus hicq; tibi:
Merces & Blasi postremã corripit, amens,
Atque priorem aiunt Antipoeta rudis,

175 16 Bufo-uernex. BVFOVERVEX

21 *Profero* Profer

176 12 *Teneas* Tentas

19 *Ttansire* Transire

32 *Deorum* Dearum

177 12 *meta* mera

15 *poetam* pætam

177 28 *Visium* Vitium

178 3 *spatolocinadi* spatholocinædi

179 18 *Calore* Calone

21 *Deo* Dea

23 *spicat* spirat

28 *Poeta* Poetæ

180 11 *Primarium* primarius

184 21 *Cum* Aut

38 *clamyde aptiori. Nimirum* chlamyde aptiori; nimirum

40 *Xictori* Victori

Si quæ reliqua nos effugere menda Lectori animaduersa, poterunt, ab eo facile corrigi.